





SOTO
in Hippo
Commen
61
H65
Opra. v.c.S.
1594
R



ANIMADVERSIONVM MEDICINAE PRACTICAE,

Liber vnus febrium documenta practica continens.

AVTHORE LAZARO DE SOTO Pinciano, Magni Philippi II. Regis Medico.



CVM PRIVILEGIO.

MADRITI

Excudebat Ludouicus Sanchez.

M.D.XCIIII.

EL REY



O R quanto por parte de vos el Licēciado Lazaro de Soto nuestro medico nos fue fecha relacion, diziēdo, q̄ vos auiades cōpuesto vn libro intitulado Liber Animaduersionū, Medicinæ practicæ, en el qual auiades gastado mucho tiēpo y trabajo, para sacarlo a luz, del qual dicho libro haziades presentacion, y nos suplicastes os mandassemos dar licencia para le poder imprimir, y priuilegio por veinte años, o como la nuestra merced fuesse, lo qual visto por los del nuestro Consejo, e como por su mandado se hizieron las diligencias que la pragmatica por nos fecha sobre la impresiō de los libros dispone, fue acordado, que deuiamos de mandar dar esta nuestra cedula en la dicha razō, e yo tuuelo por biē: por la qual vos damos licencia y facultad, para que por tiēpo de diez años primeros siguientes, q̄ corren y se cuentan desde el dia de la fecha desta nuestra cedula, podais imprimir y vēder el dicho libro que de suso se haze mencion, por el original que en el nuestro Consejo se vio, q̄ van rubricadas las hojas, e firmado al cabo de Christoual de Leon nuestro escriuano de Camara de los q̄ residē en el nuestro Consejo, juntamente con el dicho original, para q̄ se vea si la dicha impressiō esta conforme a el, o traygais fee en publica forma, en como por Corretor nombrado por nuestro mandado se vio e corrigio la dicha impresion por el dicho original, y quedan ansi mismo impressas las erratas por el apūtadas, para cada libro de los que ansi fueren impressos, y se os tasse el precio que por cada volumē aueys de lleuar. Y mandamos que durante el dicho tiempo persona alguna sin vuestra licēcia le pueda imprimir, so pena que el que lo imprimiere o vēdiere aya perdido y pierda todos e qualesquier libros, e moldes, e aparejos, que del tuuiere, o vendiere en estos nuestros reynos, y mas incurra en pena de cinquēta mil marauedis por cada vez q̄ lo contrario hiziere: la qual dicha pena sea la tercia parte para la nuestra camara, y otra tercia parte para el denunciador, y la otra tercia parte para el juez que lo sentenciare. Y mandamos a los del nuestro Consejo Presidētes, e Oydores de las nuestras Audiencias, Alcaldes, Alguaziles de la nuestra casa Corte y Chancillerias, e a todos los Corregidores, Assistente, e Gouernadores, Alcaldes mayores, y ordinarios, y otros juezes e justicias qualesquier de todas las ciudades, villas, e lugares de los nuestros reynos y señorios, ansi los que agora son, como los que seran de aqui adelante, que guarden y cumplan esta nuestra cedula y merced que ansi vos hazemos, y contra el tenor e forma della, ni de lo en ella contenido no vayan, ni passen, ni consientan yr ni passar en manera alguna, so pena de la nuestra merced y de diez mil marauedis para la nuestra Camara. Fecha en Tous a xxj. dias del mes de Iunio de mil y quinientos y ochenta y cinco años.

YO EL REY.

Por mandado de su Mageſtad.

Antonio de Eraſſo.

AD LECTOREM.



VAMVIS multa in hoc rerum humanarum statu incidere soleant, quibus ingenia quantumuis præclara, non mediocriter ab instituto suo, & à melioribus excogitandis deterreri possunt, maledicentium tamen latratus, & insolentium hominum canino dēte mordentium liuores, primas obtinere sentio. Quæ res effecit quidem vt à principio decreuerim, firmoq; animo proposuerim labores vigiliasq; meas ita contegere, & ad obliuionem senij apud me reseruare, vt vel mihi soli prodesse posśint, vel sempiterno silentio quiescerent. At verò consideranti mihi quantum debeat vnusquisq; in cōmunes vsus proficere, & publicæ vtilitati cōferre, nō potui, nō vanas emulationes despicere, & spumantia maledicentium ora contemnere: aduersus enim eius conditionis homines dimicandum omnino non est, ne tantisper compar & similis eis fias, dum similia dicas atque audias. Quamobrem librum Hippocratis de locis in homine, & librum primum de dieta nostris commentarijs illustratos non solum in lucem edere, sed etiam librum Animaduersionum Medicinæ practicæ componere, & omnes eorum censuræ, & castigationi subijcere, veritus non sum, sperans illos operis vtilitate coactos, nos subinde laudaturos potius quam vituperaturos: tu ergo quisquis fueris (charisśime lector) nostrum tua castigatum trutina laborem suscipe, & superflua demens, & defectuosa addens veram medicinam imitabis. Vale.


IN

PRAEFATIO.



RTEM medicam ex tribus constare, ex Medico (artis ministro) ex ægro, & morbo Hippocrates monstrauit. 1. epid. sect. 2. text. 51. & sect. 3. tex. 1. & 1. aphorism. 1. dicens: Medicum nõ solum seipsum præstare debere aduersus morbum opportuna facientem, sed & ægrum & assidentes & exteriora, &c. Quapropter ex multis quæ antiqui Medici necessaria futuro Medico practico scripsere, operæpretium duximus aliqua recensere, vt futurus Medicus practicus medicinæ limina practica in salutata non ingrediatur, sed multis varijsque modis instruatur. Animaduersiones verò circa morbos & ægrũ necessarias toto hoc libro enunciabimus, eas (inquam) quæ selectissimi authores pro febribus curandis considerauerũt, scribentes, & quæ nos largo ac prolixo experimento ex doctissimorum virorum commertio accepimus & obseruauimus, demonstrantes. In quo faciendo ordinem sine ordine seruabimus: ordinem quidem, dum ea quibus futurus Medicus practicus instruitur, primo capite prolixè tractamus, in capitibus verò sequentibus ea quæ pro febribus curandis & ægris restituendis pertinent, scribemus. Est huius libri scopus febris, quia morbus communissimus est, & qui acutis morbis intricatur. Nam particulariũ morborum (caput & reliqua hominis membra respicientium) curationes per libros integros multi tradiderunt, quamuis & nos amicissimis quibusdam plaudentes, coacti sumus aliquot morbos in secundo capite describere. Sine ordine verò (vt diximus) procedemus, quia aliquando causas multorum euentuum in morbis reddemus, quandoque multa quæ ad prognosticum spectant, enũciabimus, interdum verò pleraque ad victus rationem instituendam, & curationem prosequendam pertinentia demonstrantes, tandem institutũ nostrum absoluemus. Sed initio capitulorum theoricam sternimus, eã scilicet quæ magis ad praxim accedere videtur, & quæ pro morbis


bis curandis communiter in consultationibus doctissimorum viroru circumfertur, ne ob hanc rationem ab scopo & instituto nostro (quod est animaduersiones practicas scribere) deuiare quispiam dixerit: nam id præcipuè docere intendimus. Quapropter non cum Tyronibus & ijs qui artem medicam in limine salutauerunt, exercitium practicum futurum est, quin potius hoc scribēdi genus ad prouectos, & in theorica parte bene exercitatos magis spectare videtur. Quo fit, vt quemadmodum is qui horum viridarumque amenum ingreditur, varijsque floribus ornatum circuit, ad dexteram leuamque oculos conuertens, nūc purpureas, modo luteas, rursus virides, denuo rubras, mox palidas, & tandem alias diuersis coloribus insignitas flores colligit, ita ex præsenti libro curiosus practicus pro dignoscendis febribus deagnosticas, pro curandis ipsis curatiuas, dieteticas pharmaceuticas, vel prognosticas animaduersiones leget, vel omnes simul colliget.



IN LIBRVM ANIMADVERSIONVM MEDICINAE Practicæ, liber vnus febrium documenta practica continens.

CAPVT PRIMVM.

In quo futurus Medicus practicus multis varijsq; modis instruitur, & admonetur, eritq; multorum librorum Hippocratis quasi epitomes.



IPPOCRATES Medicorum omnium facilè princeps Medicũ Philosophum ac sapientem Deo ipso similem facit. Nam Deus summa sapientia cùm sit, quicunq; per vitæ decursum ac in vocatione sua sapienter, prudenterque se gesserit, is (procul dubio) Deo maximè similis erit. Quamobrem ille qui omnia necessaria habuerit ad coërcendam intemperantiam, auariciam, concupiscentiam, rapinam atque impudentiam, statim argenti contemptor erit, reuerendus, verecũdus, quietus, authoritate iudicio doctrina cognitioneq; necessariorũ ad vitam bene transigendam præditus. §. 1. *Lib. de decēti ornatu.*

Hic multo magis quàm quiuis alius artifex, fungi debet suo munere, quanto sibi nobilior est subiecta materies. Qui præterquã quod animo & corpore mundus esse decet, facetus tamen sit oportet Vini odorem fugiẽs. Putidum partium sui corporis odorem vitans. Alliorum & ceparum esum præcauens. Huic turpissimum est ægrotare, scabiem habere, Alopeciam, Ophiasim morbumq; articularem pati: fœdissimi namque sunt eiusmodi morbi pro ægrorum conuersatione. §. 2. *Gal. 6. epi. com. 4. text. 9.*

Ad ægrotantes ergo cùm deuenerit, interrogare oportet, quæ patiuntur, & ex qua causa, & quot iam diebus, & an venter secesserit, & quo victu vtantur, ita vt non solo visu affectiones iudicet, sed re ipsa, atq; alta mente rythmos ac consonantias partium corporis inter se (quibus calidæ frigidis, & humidæ siccis contemperantur) cognoscat, necnon pulsus excrementaq; an secundum naturam §. 3. *Lib. de affectioni, folio 199.*

fiant,

Hippocr. epist. 18. fiant, scrutetur, & vtrum incipiat morbus, an medium teneat, vel desinat, rimetur, & corporis natura cognita, & seruata differentia temporum anni & ætatis, affectionem ipsam summa cum diligentia curet: de singulis semper interrogãs, & artificiosis coniecturis vtens, omnia peritè administret, ita vt semper prosit, & nunquàm noceat.

§. 4. Principio igitur dietam ægrotantibus commodam pro iudicio suo instituat. Venenum nullo pretio nullisque precibus cuipiam porrigat, neq; ad hoc facinus perpetrandum consilium suum præstet. Aborsui nullo modo operam det. *Hippocr. iusiuran.* Quæcunque verò inter curandum viderit aut audierit (si ea proferre non contu lerit) tamquàm arcana apud se tacendo reseruabit.

§. 5. *Lib. de lege.* Sit re & opere Medicus, non fama ac nomine tantum, quod vt assequatur, his omnibus præditũ esse oportet. Natura, doctrina, loco studijs apto, institutione à puero, industria & tempore. Nam qualis eorum quæ terra producit considera tio est, eiusmodi hæc animaduersio existit. Natura enim nostra velut ager est, dogmata præceptorum velut semina sunt, institutio à puero cum eo conuenit, quod oportuno tempore semina in agro cadere oporteat, locus studijs aptus, est velut ambiens aër, à quo è terra nascentibus (tamquàm causa sine qua non) nutrimentum accedit. Industria autem cultura est. Tempus postremò hæc omnia corroborat, vt perfectè enutriantur: & tãdem per vrbes ob ambulando. vbi multa ac varia morborum genera experiuntur, & vbi multi ac præclari Medici existunt, non per vilia opida (vt pleriq; faciunt) vbi & morborum & Medicorũ consulentium copia deficit, non sermone tantùm, sed re & opere Medicos haberi conuenit.

§. 6. *Lex.* Sed & hortandum futurum Medicum censeo, ne multorum argumẽtis, quibus medicam artem dehonestare contendunt, desperet atque deficiat. Neque enim si medicina mala omnia non sanat, aut quia multi sine medicorum ope à morbis liberantur, aut quia contra deploratos auxilium non reperitur, deficere aut desperare debet. Medicina namque hæc tria solum promittit. Primò morbos in totum (si posibile est) tollit, sin minus vehementes morborum impetus obtundit, & tertiò eorum qui à morbis victi sunt, curationem non aggreditur, cùm palam sit, artem medicam tales sanare non posse.

§. 7. Fidens ergo debet esse Medicus & veram esse medicinam credens, quæ iam ab antiquo inuenta est, multa probè habentia continens, nõ vano aut inani fun damento reperta. Sed per multum adeò tempus excogitata ab antiquis, vt nullus (nisi artis ignarus) eam esse artem deneget. Quæ licet sui ratione veritatem ac certitudinem promittat, ex nostra tamen parte adeò operosum iudicat Hippocrates lib. de veteri medicina, eam exactè ediscere, vt parum in ea erremus. Quapropter eum Medicum maximè commendat & laudat, qui parum in ea delinquit & errat. Quod vt assequatur multa ex parte sui faciat oportet.

§. 8. *Lib. de Medico.* Primò suam ipsius salutem, suumque corporis habitum optimè conseruet. Vulgus enim eum qui corporis sui malè curam gerit, reliquos non benè curaturum existimat.

§. 9. Vestitu decorò incedat, vnguentis odoratis commatur, quæ tamen suspectũ odorem ad omnia non habeant. Ea ego ex frigidis & calidis mista parare suadeo, qualia sunt multa quæ ex floribus componuntur, ne ex ijs quibus delectari debent, molestiam sentiant.

§. 10. Honestè domos ægrotantium ingrediatur, omni namque hora vxores, vir-

gines

virgines atque opes maximi pretij illi occurrunt, vt necesse sit continenter ad hæc omnia se habere. Honestum animum habeat oportet, & probis moribus sit instructus.

Figuram faciei habeat meditabundā ac sub tristem, non tamen amarulentē: §. 11.
nam eiusmodi vultum homines (præcipuè cum ægrotant) odio prosequuntur. Neque propterea in risum sit exolutus, aut nimium hilaris, nam & hæc figura onerosa est, id quod Seneca de Pisone loquens ita cecinit.

Sed super ista mouet plenus grauitate serena
Vultus, & insigni præstringit imagine visus.
Itaq; *Talis inest habitus qualem nec dicere mæstum,*
Nec fluidum, læta sed tetricitate decorum.
Possimus.

Sed hāc personam ex composito agere, difficillimum iudico, & eum qui hæc facere nouit, maximè laudo. Noui ego Medicum eiusmodi omnia facientem, submissa voce loquentem, quem vix (etiā si aures arrigeres) perciperes, multa de reipublicæ gubernatione, de bello gerendo, varia de politica & economica vita apud ægros differētem, qui non solum apud vulgus aurā, sed etiam à magnatibus auri summam in gētem comparauit, & meritò quidem, cum rectè seipsum *Lib. de decēti ornatu.*
Medicum componere caluit Medicus enim commitatē quandam sibi adiunctā habere debet. Nam austeritas & sanis & ægris difficilem accessum præbet.

Et vt semel dicam pro laborantis natura voluptatis differentias excogitare §. 12.
debet Medicus: si enim fuerit sermonis amator aut historiarum cupidus, huic *Stephanus Atheniensis text. 34.*
Medicus historiarum officia enarret: si in Philosophicis disciplinis fuerit enutritus, philosophicas ratiocinationes inuestiget, & Philosophorū officia explanet, vel alia id genus dicat.

Obseruandum præterea à Medico est, ne cum imperitis multa loquatur, sed §. 13.
necessaria tantum. Sunt enim qui hoc faciant, vt vulgares & imperitos seducant (si aliquando morbis capiātur) vt se illis audeant committere.

In ingressu, habitum habeat submissum, Amictum benè compositum: sit bre- §. 14.
uilocus, sine perturbatione sedeat. Diligenter ad ea quæ interrogantur respondeat. Visitet crebrò ægrotantes, vt si quæ per errorem facta sunt vitentur. Quæ omnia placidè ac expeditè faciat, ita vt ægrum à suis cupiditatibus auertat. Vt *Li. præceptionum.*
benè speret hortandus est æger. Rudes ac ignaros nonnunquā sciscitari debet. Gratis aliquando curandum est, etiamsi merces constituenda Medico sit. Persuadetur enim æger (mercede posita) quod Medicus eum nō relinquet, & quod nihil negliget eorum quæ morbo opitulari possunt.

Medicorum cōmitatum pro morbis curandis non recuset, quo ex communi §. 15.
consideratione, res circa ægrotum inquirantur ac cognoscantur, & illi cooperatores fiant ad auxilij ferendi facultatem.

Firmiter memoria teneat medicamenta tam simplicia, quàm composita, sint §. 16.
& in memoria morborum curationes. Præparata sint Medico malagmatum ge *Lib. de decēti ornatu.*
nera ad singulos vsus, & potiones quæ præparant humores iuxta genera sua, similiter & expurgantia medicamenta. Quibus omnibus instructus atque admonitus futurus Medicus, & illa omnia impromptu, & benè præparata habens, hoc commodi illi erit, vt vbi ad ægrotum introierit, animo incerto non sit, cum appositè habeat omnia, ad id quod faciendum est.

CAPVT II.

In quo syndromes symptomatum, quæ in febribus considerantur, explicantur.



INTER multa quæ nos cōpellere potuerunt, vt primo loco febrium animaduersiones practicas enunciaremus, illud potissimum fuit, quod febris cōmunissimus morbus est, & qui passim se se offert, & omnibus ferè acutis morbis intricatur. Quod adeò verum est, vt nullo argumento nullaq; ratione egeat, nisi sola experiētia, quæ nos docet, nullum alium morbum frequentius curare, quàm febres ipsas. Et licet singularum febrium animaduersiones in particulari tradendæ sint, nihilominus placuit in præsenti capite syndromē symptomatum (quæ solent præire, cōmittari, & subsequi febres ipsas) animaduertere, vt possit Medicus practicus singulorum rationes in prōptu habere, & contra eorum seuitiam pugnare. Solent enim tanta cum vehementia & acuitate inuadere, vt relicto morbo Medicus ad eorum sedationem se cōuertat. Quæ igitur sint eiusmodi symptomata memorabilia iam dicā, Lassitudines, rigores, oscitationes, pādiculationes, tremores, palpitationes, sudores, fluxus sanguinis narium, vomitus, ventris fluxus, sitis clamosa, linguæ asperitas & nigredo. Somnus profundus, vigilia superflua, capitis grauitas ac dolor, delirium, inquietatio seu anxietas, tussis, difficultas spirandi, difficultas transglutiēdi, syncopes, cibi fastidium. Appetitus ciborum immoderatus, conuulsio & singultus. Timores pauoresque in somno. Extremorum frigiditas. Vertigo & scothomia. Oris fœtor. Excoriatio gargareonis & partium oris. Retentio stercoris & vrinæ, & alia pleraque, quorum animaduersiones per tractationis nostræ decursum dicemus.

§. 1. Lassitudines fiunt ante febres spontaneæ quidem musculis ipsis inflammatis, aut tensis, aut vlceroso sensu præditis. Galeno authore illo spontaneæ lassitudines morbos denunciant. Solent per morbi decursum perseuerare quādo scilicet cacochymia, aut plenitudo vacuata non est, aut musculorū tensio relaxata. Vlcerosa & tēsiua etiā absq; febre inuadere & permanere possunt. Inflammatiua verò statim vehementissimam febrem accendit, adeò vt nisi Medicus copiosis & frequentibus sanguinis missionibus succurrat, in mortis periculum ægrum inducat. Nam cum sanguis in eiusmodi lassitudine calidissimus sit, omnes qui in eam lassitudinis speciem incidunt, copiosissimam eius vacuationem postulant. Quapropter non conuenit parum eius detrahere, sed celeriter mittendus est, & ad animi defectionem vsque educendus, siquidem nihil aliud impediat.

Gal. cōm. 2. in lib. Hipp. de humorib. tex. 17.

§. 2. Quòd si bis in die in phlegmonosa lassitudine sanguinem detrahere velis, rectè facies, dummodo in prima euacuatione in animi defectionem ægrum nō inducas: nam in secunda, non est quod animi deliquium afferre verearis, Galeno authore, comment. 2. in lib. Hippoc. de humoribus tex. 17. Cuius dicti meo iudicio hæc est ratio. Nam prima sanguinis detractione prudens Medicus tentat, an eger copiosa euacuatione exoluatur, nec ne? quod si senserit ægrotum exolui

exolui vireſque amittere, proculdubio ſecundam euacuationem (cane peius & angue) vitabit. At ſi primam ſufficienter tollerauerit, in ſecunda animi defectio nem inducere non timebit.

Sed id quod eodē libro de humoribus commen.2.text.18. Hippocrates animaduertit ſilentio prætereundum non eſt: inſinuans enim validas debere eſſe vires, quando natura aut ars aliquam inſignem mollitur vacuationem, vt eiuſmodi euacuatio proſpere ſuccedat, ſic docet viriū robur cognoſcere. Ex his facito coniecturam, ſicca quidem erunt calida, humida verò frigida, quæ verò aluum mouent, plerumq; contraria. Quæ ſententia quia obſcura difficillimaque eſt, omiſſa Galeni interpretatione, à nobis ſic declarabitur. §. 3.

Triplex ſubſtantia corpus noſtrum cōſtituit. Solida (nempe) humida, & ſpirituoſa, ex quarum, optima contemperantia, robur virium conſtat, vt nos latiùs infra ex Hippocratis & Galeni monumentis c.4. monſtrabimus. Hanc igitur triplicem ſubſtantiam hac dictione inſinuare volens Hippocrates, in qua virium robur conſiſtit, inquit: Quando in euacuationibus à natura vel arte factis, ſicca membra (quæ ſolida & ſeminaria ſunt, & ex quibus corpus firmitudinem comparat) calida fuerint, tunc coniectare debet Medicus robur maximum ægrotanti ineſſe. Quis enim ignorat dum aliqua inſignis vacuatio fit, membris frigiditatem ſuperuenire, maximum malum eſſe: arguit enim virtutis debilitatem non potētis talem inſignem euacuationem ſubſtinere, ergo calida eſſe membra per euacuationes virtutis robur arguit. Subdit, & humida membra frigida. Carnoſæ enim partes & ſanguineæ, quæ humidiores multo ſunt (reſpectu ſolidorum membrorum) per inſignes euacuationes temperantiam quandam & teporē acquirere debent, vt monſtrent ægrum ſufficere poſſe ex tali euacuatione. Nam ſi pro tepore & temperantia carnes caliditatem acquiſiuerint, argumētum magnum erit, vel propriam carnium ſubſtantiam diſsipari, vel colliquari. Id quod valdè timens Hippocrates ſic illo aphoriſmo dixit. Sana habentes corpora difficile ferunt purgationes, in cuius explicatione Galen. ſic inquit, quando medicamentū humores quos euacuet non inuenit, carnes calefacit, & colliquat, ergo in vacuationibus carnes temperātiam & teporem habere, ſignificat ægrū poſſe ex tali euacuatione ſufficere.

Poſtrema verò dictionis verba docent, ſpirituoſæ ſubſtantiæ, & caloris comminuentis & alterantis actuantiſue medicamenta expurgantia ſtatum ac robur. Nam ſi aſſumpto pharmaco, eoque ſicco & acri, calor ſpiritusuè præbuerint illi teporem, & reduxerint illud ad quodam temperamentum, vt non amplius calidius & mordax, ſed tepidius & humidius fiat, tunc argumentum eſt, corpori robur ineſſe, valens medicamenta ſufficienter alterare, ita vt natura vim medicamenti deleteriam ſuperet, id quod ex exeuntibus cognoſces, quæ ſolent ſuauiter excerni, quando medicamenta probè fuerint alterata. Quòd ſi aſſumptum medicamentum humidum fuerit, & calorem ſiccitatemque quandam illi præbuerit natura, quibus valeat corpus rectè expurgare, tunc ſignum eſt, ſubſtantiam ſpirituoſam ipſumque calorem validum eſſe: & hoc eſt quod dicit; quæ verò aluum mouent, plerumque contraria. Sed hæc in re difficili ſufficiant. De ſpeciebus verò laſsitudinum pulchra plura refert Aetius lib.4. cap. de laſsitudine inflammatiua.

Rigores, horrores ſolent interpolatas febres præire aliquādo & cōtinuas ſoluere. Cū à febre ardente habito rigor ſuperueniēs ſoluit febrē, excreto nimirū §.4. Rigor.

humo-

humore faciente febrem ab internis ad externa, & sudore copioso oborto, id quod sæpissimè praxim exercentes animaduertimus, præsertim si vrinæ ante prædictum rigorem supprimantur. Quod animaduertens Hippocr. 6. epi. dixit, ante rigorem vrinarum suppressiones, si ex commodis processerint cōsiderandæ. Vniuersa enim vrinæ materia suppressa postea fit sudoris soboles, dū illam natura criticè expellit, præcedente rigore: id quod securiùs spectabis, si febres sudorificæ per populum grassentur, de quibus cū de sudore verba faciemus, nōnihil animaduertemus.

§. 5. Rigoris, frigoris, & horroris, eadem causa est, nisi quod penes quantitatē humoris, aut eius vehementiam seu acuitatem, aut penes impetum motionis eius differunt. Nam vbi humor, nec multum acutus est, nec vehementiùs mouetur horror fit. Rigor verò si copiosus sit & acutus, & vehementer moueatur, vbi autem in acutie & impetu motionis leuiter se habeat, frigus fit. Oboriūtur omnes prædicti motus (vt communiter omnium practicantium schola refert, Galenū in sequuta lib. de diff. feb. & de symp. causis, & lib. de tremore rigore, &c.) vbi humor fatultatem irritans à venis maioribus & penitioribus advenas paruas in habitum totius corporis expellitur. Non enim censendum est, extra venas humores putrefieri, in genere carnoso: nam sic apostemata & botores fierent, sed in venis paruis in habitu corporis existentibus: nam si aliter fieret, vrina in intermittentibus febribus nihil indicaret, nulliusque commodi esset.

Sed hac in re qui Fernelij doctissimi sententiam in sequi voluerit, non peccabit. Ille enim febrium interpolatarum mineram focumque putredinis primam nostri corporis regionem esse, circum præcordia ventriculum, diaphragma, lienem, & iecoris caua spatia, asseuerat. Hæ enim partes cum sint quasi publica corporis sentina, non mirum si in eas confluat, ac cumuletur omnis humorum colluuies, ac proinde febrium interpolatarum sint focus. Sed Fernelius antiquam Galeni & aliorum opinionem suscitauit, vt monstrabimus capite de quotidiana febre.

§. 6. *Oscitatio.* Oscitationes & pandiculationes fiunt ante febres, Galeno authore libro, præsagium experientia cōfirmatum. Nam quemadmodum ex ahænis ad ignis violentiam positis, vapor multus attollitur, de feruente in ipsis aqua, ita etiam ex eis quæ introrsum in corpore sunt, vapor exhalans, intendit, conuincitque corporis musculos, id quod. 6. epi. sect. 5. text. 3. & 4. confirmat, dicens: Oscitatio & pandiculatio purgamentorum & halituosorum excrementorum vacuandorum causa, proueniunt. Pandiculatio quidem tale in omnibus musculis symptoma existit, quale oscitatio in solis maxilæ inferioris musculis accidit.

§. 7. *Tremor.* Tremores verò, quia ex insita membri grauitate, & ex facultate debili nequeunte membrum robustè erigere, fiunt, oborta nimirum pugna inter facultatis debilitatem, & membri grauitatem, ideò initio vniuersali febrium, & in particularibus accessionibus, raro fiunt: non enim eo tempore tanta est debilitas. Nisi fortè humoris alicuius crassi, ac lenti (qualis est pituita, aut bilis flaua paulò crassior) fiat decubitus, qui neruos obstruat, & facultatem grauet, eaque ratione non raro sub acutorum morborum finem, motus quidam tremoribus similes fieri, praxim ezercentes conspeximus: nam verus tremor sine irritatione causæ morbificæ fieri debet.

§. 8. *Palpitatio.* Palpitatio verò solet in febribus fieri, cum flatuosus spiritus à calore febrili eleuatus, & in aliqua corporis parte conclusus, exitum quærit, qui aliquando

circa

circa partes cordis fluctuans, palpitationem cordis generat.

Aduertant tamen praxim exercentes, quòd aliquando in febribus acutis instante crisi, fit cordis palpitatio, ad omnigenam differentiam pulsu mutato, cũ duarum triumuè pulsationum intermissione, & ferè ægroto syncope prehēso, quæ tamen minimè terrere debet. Solet enim eiusmodi palpitatio crisim per sudorem citissime pronuntiare. Arabes practici palpitationem cum tremore confundunt. §. 9.

Sudores fiunt in fine particularium accessionum, & in vniuersali declinatione febrium acutarum fiunt per modum crisis, aut in vltima parte status, raroq; in principijs febrium accessiones habentium oboriuntur, nisi magna cũ ægrotantium vtilitate, quando scilicet loco rigoris aut frigoris sudor oboritur, quo accessio in totum submouetur. Hic fit attenuata materia morbifica, quam ad cutis partes natura protrudit. §. 10. Sudor.

Solet è corpore tam profusè emanare, vt ad illum compescendum totam suam operam Medicus impendat: id quod accidit, vbi corpus habitu raro præditum est (quale biliosi iuuenes habent) & vbi materia admodum tenuis est, tũc enim ad eius incrassationem, & meatuum adstrictionem properare debet Medicus, ne diaphoresi illa ægri succumbant, vt olim contigit in sudore Britanico. §. 11.

Sed in hac re venit in mentem Galenus, qui nescio qua ratione motus ausus est pronuntiare. 6. epi. sect. 2. tex. 33. in fine. sudorem superfluum minus noxiũ esse, quàm reliquæ euacuationes profusæ & largæ, quæ per vomitum, aut per secessum fiunt, cum contrarium omnino experientia doceat. Videmus enim breuiori tempore ægros succumbere per immoderatos sudores, quàm per superfluum vomitum, aut fluxum ventris: solēt enim eiusmodi euacuationes (etiam si immodicæ sint) per multos dies, & aliquando per menses durare: quod nunquàm de superfluo sudore visum est, quin potiùs breuissimo tempore interficere videmus.

Sed ne videatur hæc nostra tractatio animaduersionum ieiuna, non piget ea quæ Doctor Benauides Medicus Regius cubicularius obseruauit breuiter expedire, vt Medici in praxi exercitatiores fiant, & ad obseruandum mores morborum alliciantur: id quod ante ipsum Gomezius Pereira Methymnēsis animaduerterat. §. 12.

Febres ardentes aut continentes putridæ, in quibus à primò die, aut saltem secundo inquietudo & anxietas, capitis dolor mediocris adueniunt, & vrina paulò crassior & coloratior conspicitur, interdum ad flauum, interdum ad subrubrum tendens, si cum appendiculo aut sedimento in meliùs procedat vrina, & vultum habeat æger permanentem, cum colore non parum à naturali variante, sudore certissimè finiuntur. Sed nulli horum signorum magis fidere oportet, quàm inquietudini & angustiæ in partibus naturalibus: id quod certiùs prædicere audebis, si tum temporis morbi vagantes ita iudicētur. Tempus autē opportunum ad eiusmodi febres, est illud quod Hippocrat. 3. aphoris. 6. depingit.

Iudicantur eiusmodi febres per sudorem, cùm ob virtutis fortitudinem, tum etiam ob materiæ obedientiam, & vt in plurimum intra septimum aut nonum, in acutioribus verò quarto aut quinto. Sed in ijs acutioribus primo aut secundo die vrina perturbatur & incrassatur, & continuò circa iudicium redditur clarior cum sedimenti abundantia. Vel primis tribus diebus ferè nihil à naturali eua-

riat,& circa iudicium perturbatur & incrassatur: in his enim certissimè sudorē expectabit Medicus salutarem, dummodo signa lethalia absint, qualia sunt, difficultas spirandi, delirium, extremorum frigiditas,& alia huiusmodi quæ critica non sunt.

§. 13. Aduertimus signanter vultus permanentiam maximè conducere ad sudoris significationem, neque abs re. Nam licet Hippocrat. 2. aphorism. 28. illo, Febricitantium non omnino leuiter permanere corpus & nihil minui, &c. dicat, corporis permanētiā in medioc ribus febribus morbi longitudinem significare, nilominus sæpe sæpius non tantùm in mediocribus, sed in validioribus febribus corpus permanere conspeximus, absq; eo quod in longius tempus protraherentur: idque non abs re. Vt enim contingit corpus contabescere ob solam imbecillitatem, sic idem permanere potest ob virtutis robur: nam licet causæ sint valdè calidæ & actiuæ in febribus, nihilominus si cōtingat corporis permanentia, signum est, fortissimam esse facultatem, quæ simul cum morbi magnitudine iudicium fore certò demonstrat. Cui sententiæ Hippocrates & Galen. assentire videntur. 6. epi. sect. 2. illo, In magnis morbis facies bona, bonum, in paruis verò huic contraria, malum. Bona namque facies in morbis (qui sui ratione malā faciem faciunt, vt sunt morbi magni & acuti) bonum aliquid significat, id autem nihil aliud est quàm robur virtutis.

§. 14. Quapropter dum Hippoc. dixit. 2. aphorism. 28. corporis permanētiam longitudinem significare, intelligendus est, si corpus permaneat cum malo colore, qualis est plumbeus & fuscus nigricans. At si cum optimo colore & sibi sano simili permaneat; virtutis robur & fortitudinem significat, qua cum solēt morbi finiri.

§. 15. At solent eiusmodi febres sudorificæ cum tam maxima irritatione inuadere, vt aliquando stillæ sanguinis per nares fluant, aliquando vomitus biliosi accedant, quādoq; fluxus ventris infestet, donec natura (sine doctore docta) viam expulsioni aptam inuenit per sudorem, qui propter humorem mordentem & ad sui expulsionem irritantem simul cum robore virtutis fit.

§. 16. Sed quod maximam admirationem præbet, & cuius rationem difficile reddere poteris, illud est, quod soleant eiusmodi febres reuertere eadem specie, etiam si omnibus numeris absoluta crisis nobis sit visa, nullo ex signis recidiuæ præcedente: quod quomodo fieri possit iam dicam. Quemadmodum enim homines antequam in morbos incidant suis muneribus funguntur, sine aliquo signo morbi venturi (non enim lassitudines omnes morbos præcedere debent, sed multi repentè inuadunt, & incautè apprehendunt) ita postquàm morbos superauerunt, possunt in eosdem rursus incidere sine signis recidiuæ. Nam cum prima febris sudorificæ inuasio ex maxima humorū tenuiū ebullitione sit orta, quos natura fortis (tamquam sibi molestos) ad expulsionem præparat, & breuiori tēpore quo potest, foras protrudit, sudorem copiosum molita, quo tota materia morbifica, iudicio nostro, videtur esse perfectè euacuata: nihilominus sæpe cōspeximus aliquam portionem humoris relinqui in aliquibus vasis arctis & angustis inclusam, quæ nullam sui significationē præbet, quousq; rursus insilire, moueri & affligere incipit: idque vel astrorum vi, vel peculiari proprietate humorum, quæ nos latet: & tunc denuo eiusdem speciei morbus oboritur, tertio, quarto, quinto aut septimo die post primam inuasionem.

§. 17. Sed ex ijs nullus moritur, nisi forsan senex, aut nisi causa externa rursus humores

mores cōmoueat. Et ratio huius salutaris euētus est, quia in ijs recidiuis paucior est materia & magis elaborata quàm à principio. Quapropter natura quæ morbificam causam valuit depellere, quando erat copiosa & rebellis, poterit quidē in reuersione iam minorem factam & quodammodo elaboratam, sine discrimine, & periculo superare, nisi denuò Medici Hippocrate præceptore indigni ægros more carnificum extorqueāt sanguinis missionibus, purgatione, & multis alijs quæ iudicium adeò impedire solent, vt vel mors, vel morbi longitudo subsequatur, aut crisis laboriosa & infida superueniat. Est enim humor earū febrium author in aliquibus vasis corporis adeò strictis inclusus, vt nisi febrili calore dilatentur, vt rursum sudor prouocetur, pharmaca & vacuationes atque alia auxilia nihil valeant. Sed has ego recidiuas nō auderé prædicere, nisi prius temporis constitutionem, & mores morborum eo tempore grassantium considerassem. Nam si quosdam morbos reuertere animaduertissem, recidiuas prædicere ausim: sin minus nullam accidere certissimè denuntiarem. Sed hoc interim consideremus, quòd omnis ingressus febris cum sudore plenitudinem significat.

Influxu sanguinis narium id solùm considerent praxim exercentes, quòd raro aut nunquam febris soluitur illo solo, etiamsi copiosus eueniat: nam vt in plurimum solæ styllæ sanguinis narium fluunt in febribus. Contigit enim mihi anno. 1569. Mantuæ Carpentanæ febre ardente laboranti copiosus sanguinis fluxus per horas nouem perseuerans, quo existimabant qui mei curam gerebāt fore finiendam febrem: at superueniente fluxu ventris, & tandem impetuoso rigore, quem subsequutus fuit prolixus sudor, me febris reliquit: id quod pleriq; alij ea tempestate experti sunt. Sanguinis enim è naribus fluxus, quia solùm irritationem naturę ostendit, illo solo rarissimè febres iudicantur. Galen. namque lib. de sanguinis missione: cap. 14. in fine. venarum particularium apertionem nullius momenti existimat esse in febribus. Quòd si aliquando prodesse eiusmodi fluxus conspicitur, illud quidem est in particularibus affectibus, velut in capitis doloribus, in paraphrenitide, in morbis iecoris ex dextra nare, in lienis affectibus ex sinistra: cuius euentus rationem elegantissimè inuenies apud Stephanum Atheniensem lib. ad Glauconem. text. 181. §. 18. *Fluxus sanguinis narium.*

Quòd si aliquādo nimius fuerit fluxus qui faciei colorem euertat, & spiritus viresque exhauriat, omni ingenio sistendus est, sanguinis incrassatione (si is tenuis fuerit) orium venarum clausione (si aperta fuerint ora) atque demū (si multus) reuulsione & euacuatione. §. 19.

Vomitus eorum quæ in ventriculi spatio continentur, varijs de causis multisq; rationibus fiunt. Aliquando enim propter intemperiem frigidam & humidam ab humore lento & pingui factam, tanta imbecillitas ventriculiq; dissolutio sequitur, vt vix quicquam amplexari aut continere posit; id quod à venenata aliqua qualitate ventriculum infestante etiam aliquando cōtingit. Fiunt prætereà vomitiones à re aliqua qualitate ventriculum infestante, aut quantitate aut lentore ipsum lacessente, nonnunquàm in ipso ventriculo genita, nonnunquàm ex alijs partibus confluente, à iecore videlicet, liene, mesænterio & intestinis, cerebro, & vniuerso denique corpore per iecoris venas. Qui vomitionis modus febribus, tam intermittentibus quàm continuis proprius & peculiaris est: intermittentibus quidem initio accessionum, rigore, frigore, horrore ue finito. Nam inuasionis impetu proportio quædam humoris vehementiùs impulsi §. 20. *Vomitus.*

ex prædictis partibus in ventriculum repit, qui maxima cum vtilitate vomitione expellitur. Nam licet Galen. 4. aphor. 22. illo: Morbis quibuslibet incipientibus dicat, fieri non posse, vt aliquid per initia morborum recte excernatur: nihilominus sæpenumero vidimus, initio prædictarũ febrium naturam maxime leuari, portione humoris infestantis per vomitum vacuata. Quo fit, vt accesio minori tempore duret, & facilius ab ægrotis toleretur: magnam namque in euacuationibus vim conferentia ac tolerantia habent, iuxta Hippocr. 1. aphorismor. 2.

§. 21. Solet tamen vomitus tam laboriosus superuenire in febribus (præcipuè biliosis, & in ijs qui difficilè vomunt) vt ægros in mortis periculo cõstituat. Tãta est oris ventriculi cum corde affinitas & consensus, vt veteres eam partem cor appellauerint, quo tempore corroborandum esse os ventriculi, ne biliosum, ac rodentem humorem recipiat, ex optimis quibusque authoribus didicimus. Quod si iam ventriculũ occupauerit, eluendus humor est, vel aqua calida simplici, vel aqua rosarum calida: nam huiusmodi potione humoris acrimonia obtunditur, & vẽtriculus corroboratur, & humor per alium locum innoxiùs expellitur, vel facilè vomitu reijcitur. In continuis verò febribus semper vomitus arguit irritationem naturæ, & rarò ipso solo (vt diximus de fluxu sanguinis narium) finitur febris, sed superueniente alia euacuatione, vt sudor, aut fluxus ventris.

§. 22. Sed id in practicantiũ vtilitatem animaduertere hoc loco placuit, sæpenumero fœminas febre exitiosa laborantes videbis vterinis symptomatibus corripi simul (qualia sunt, spirandi difficultas, anxietas, deliquium animi, capitis grauitas, vertigo, præfocatio, & motus conuulsiui) quæ omnia symptomata cessare solent, vomitibus, aluique fluxibus superuenientibus. Nam expurgatis ijs partibus, quibuscum vterus maximè cõsentit, melius se habere, & à symptomatibus subleuari videntur: cæterùm quia præcipuus morbus non minuitur eiusmodi euacuationibus, ideò morte citissimè corripiuntur. Huius animaduersionis author est Hippocrates. 4. epi. tex. 75. in historia sororis Hymenæ, quæ cum ex obstructione suppressioneq; menstruorum laborare cœpisset, (nam nisi suppressa fuissent menstrua, non dubitaret Hippocrates, an vtero gereret) non mirum si anxietatibus, difficili respiratione, cataphoraque corriperetur: sed ab his omnibus leuata est, vomitibus & alui fluxibus superuenientibus, quæ nihilominus citissimè mortua est, quia præcipuus morbus (nempe febris exitiosa) non fuit expurgatus, sed eius causa intus manens mortem statim accersiuit.

§. 23 Id quod viris etiam contingere potest, si simul cum febre exitiosa, mesæreum & venæ ad hunc locum pertinentes crudis humoribus abundent, à quibus flatuum copia eleuata septum transuersum comprimat, respirationem difficilem faciat, & ventriculum ipsum anxietatibus oppugnet: tunc enim fieri potest, vt vomitus, aluique fluxus superuenientes ægrum ita subleuent, vt melius se habere fateatur: at quia præcipuus morbus non minuitur (eius causa non simul euacuata) ideò mors quàm citissimè aduenit.

§. 24. E contra porrò contingere solet, vt præcipuo morbo rectè expurgato, passiones aliquæ diuturnæ simul in eius iudicatione & crisi expurgentur, vel igneo febris calore absumantur. Febris enim acuta superueniens à passionibus diuturnis (eo modo quo diximus) liberat, vt Alcippo contigit 5. epi. in eius historia. Hic enim cum hæmorrhoydibus affligeretur, curari prohibebatur, timens, ne suppressa euacuatione consueta, redũdantia eius quod euacuari solebat, sequeretur,

retur. Itaque curatus insaniuit, sed febre acuta superueniente cessauit insania, & liberatus est: id quod non aliter factum est, nisi euacuatione humoris insaniã facientis simul cum expulsione propriæ causæ febris acutæ in eius iudicatione. Idem quoque cõtingeret, si passio diuturna, fuisset frigida & humida: nã febris superueniens, vel eam passionem consumeret, vel simul cum eius causa euacuaretur. Sed de hoc latè diximus lib. de locis hominis tex. 123.

Cùm morbus aliquis incipit, si quid excernitur, id tunc naturæ lege & ratione non excernitur, sed sunt omnia earum quæ in corpore præter naturam sunt affectionum symptomata. Quamdiu enim à causis morbum facientibus grauatur natura, & humorum adest cruditas, tunc vt aliquid rectè euacuetur fieri omnino non potest, si quidem vt bona crisis fiat, coctionem præcessisse oportet, quæ certam salutem ostendit, & secretionem sequutam, tandemque euacuationem, dicebat Galen. 4. aphorism. 22. Quapropter si fluxus ventris accidat, tam intermittentibus, quàm continuis febribus ante coctionem, suspectus esse debet, & irritationem naturæ arguere dices, secus autem si cocta materia morbifica aluus fluat. Quamobrem si aliquando crudo morbo ventris fluxus iuuare videatur, id profectò accidit conferentia ac tolerantia sequuta, vt Hippo. docuit 1. aphoris. 2. Leuatur enim tum temporis natura per expurgationem humoris talis qualis purgari oportuit: id quod Galen. docuit illa celebratissima sententia. 1. ad Glau. cap. de cura feb. cum symptomatibus, dicens: Quòd si nec adsit febris cum profluuio ventris, alia opus est euacuatione, ipsa enim sufficit, quamuis non sit pro multitudinis ratione, &c. Quæ sententia tam perniciosa est in hunc vsque diem, vt plurimi à Medicis eã non rectè intelligentibus internecati sint. Galen. enim Hippocratem sequutus, vacuationem eiusmodi regulare docet penes conferentiam & tolerantiam: quòd si hoc non sequatur, dubio procul alias euacuationes moliri debet Medicus, considerans eo tempore fluxum ventris ex maxima copia humoris naturam irritantis prouenire, tuncque alia opus esse euacuatione, siquidem ex fluxu conferentiã non sequitur. Aliquando tamen accidit, vt per primos duos aut tres dies perseuerans fluxus nullam vtilitatem afferre videtur, quo tandem leuata natura, reliquum faciliùs coctione aggreditur. §. 25. *Ventris fluxus.*

Atque ea est ratio propter quam Galen. 2. aphorismor. 29. iubet in principijs morborum euacuationes facere, vel per expurgationem, vel per sanguinis missionem, vt coctiones citiùs aduenniant, & natura minorem iam factam materiã faciliùs concoquat, & vincat. §. 26.

Neque obstat Galeni sententia. 4. de victu acutorum text. 116. qua docet, Fluente aluo sanguinem non esse detrahendum: nam si post detractionem perseuerat fluor, virtutem prosternet, &c. Id enim intelligendum est, dum modo ex fluxu leuetur æger & facilè ferat: quòd si id non accidit, vel iuuandus est naturæ motus (si Medico videatur pigra natura in expellendo) vel sanguis mittendus, si eius redundantia simul cum fluxu ventris adfuerit. §. 27.

Sitis clamosa (quæ in febribus præcipue deurentibus & biliosis accidit, quales sunt ardentes & assiduè affligentes, & tertianæ exquisitæ: nam & has in genere ardentium constituit Galen.) fit exhausta humiditate tunicæ ventriculi interioris ardore febrili inarefactæ: quod vitium extingui solet aquæ potu, nullo alio remedio exhibito. Secus verò contingit, si ab humore nitroso, acri & calido in prædicta tunica imbuto sitis oriatur, tũc enim etiam si totus vẽter humore pro- §. 28 *Sitis clamosa.*

luatur ac veluti in vtre, in vẽtriculo aqua fluctuet (nisi infarctus humor euacuetur) sitis non compescetur.

§.29 At solent ægrotantes per febres etiam acutas, & deurentes minimè sitire, ex eo quod frigida quædam destilatio ventriculum proluit, aut ex eo quod tussis quædam sicca leuiter irritans superuenit, iuxta Hippo. sententiam. 3. epi. par. 2. comment. 17.

§.30 Qua in re Fernelius audiendus non est, qui siti non vexari ægrotantes ex eo fieri nonnunquam dicit, quod ardoris causa, longiùs à ventriculo ab sit. Cùm palam sit, materialium febrium causam inter alas & inguina debere constitui, quæ partes ita maximè vicinæ sunt ventriculo, vt si quando febrili calore prehẽdantur, sitim excitent. Satiùs ergo est, vel ad frigidam distillationem, vel ad tussim leuiter irritantem id referre, quàm ad distantiam causæ febrem facientis.

§.31 Quòd si in febribus ardentibus absque distillatione aut tussi æger non sitiat, alterutrum indicare dices, aut mentem ægri læsam esse, aut ventris naturalem facultatem (qua cibum & potum appetimus) emortuam esse aut emori. Galeno teste. 3. epi. comm. 1. ægroto secundo.

§.32 *Linguæ nigredo.* Linguæ asperitas & nigredo ob easdẽ ferè causas fiunt. Nam cum linguæ tunica continua sit ipsi tunicæ ventriculum inuestienti, non est mirum si siccetur arescatque ob ingentem calorem. Nigra verò fiet ob fuligines superasatas, & sursum a ventriculo & toto corpore in partes oris ascendentes, quæ in ipsa lingua detentæ nigredinem parturiunt. Accedit quod febrientes sæpe ob vsum adauctum aperto ore respirant, & hiantes per somnum deprehenduntur, quæ res multum facit ad nigredinem & asperitatem linguæ.

§.33 Rarò fiunt prædicta symptomata sine febre, quod si aliquando cum nigredine, aut siccitate linguæ non sitire conspiciantur ægrotantes, emorientem facultatem, aut delirium ostendit, vt diximus, ex Galen. 3. epi. comment. 1. ægroto secundo.

§.34 *Somnus profundus.* Somnus profundus tã in febribus intermittentibus, quàm continuis superuenire solet, intermittentibus quidem initio accessionum, continuis verò per morbi decursum, idque maximo cum ægrorum damno, cerebro namq; eiusmodi symptomate prehenso totum corpus redditur segne, & ad omnes operationes tam motiuas, quàm sensitiuas exercendas inhabile. Quo fit, vt neque ad comedendum & bibendum, neque ad medicamenta sumenda (nisi magna cum difficultate) expergiscantur, adeò vt arborum truncis similes fieri videantur ægrotantes.

Fit somnus initio accessionũ simili modo quo videmus ex viridibus lignis fuliginosum humidumque vaporem (dum incendi incipiũt: nam vtrumque eleuatur, & vapor & fuligo) attolli, ex humoribus enim qui ea accessione incendi debent, fuliginosos vapores in cerebrum ascẽdere percipies, qui quousque vniuersus humor rectè incensus inflammatusque fuerit, somnum penè inexcitabilem pariunt. Quo tempore totis viribus omnique ingenio conandũ est, vt ægrotantes vigiles permaneant. Nam cùm eo tempore natura libera facere intendat viscera omnia ab humore febrem faciente, isque ratione somni (qui omnes ferè retinet vacuationes) in ipsis visceribus detineatur, omni ingenio atque industria, prohibendus est initio accessionum, qui aliàs in declinatione maxima cum vtilitate concedi, prouocariq; debet. In continuis verò febribus cùm hac ipsa ratione prohibendus est profundus somnus: tum etiam, quia timor est ne

soporo-

ſoporoſi affectus cerebrum inuadant & occupent, qui ſolent homines interficere.

Nunc verò id praxim exercentes animaduertant, quod qui calui ſunt, ob defectũ natiuæ humiditatis, & hi quibus caput, & præcipuè cutis ipſius præ nimio calore areſcit, induraturq;, ſanitatis tempore ſoporoſi ſunt, & vt in morboſa diſpoſitione ſoporoſi moriantur, maximè parati ſunt, cuius euentus rationem iã dicam. Tota ea materia excrementitia, quæ capillorũ generationi erat opportuna, cum non poſsit ſubſtantificè arefacta, oſſa capitis, & cutem ipſius nutrire, (ob nimiam enim ſiccitatem & carnis capitis defectum, in qua capilli radicãtur, & ob eximiam cutis denſitatem, nec foras prodire inſenſibiliter, nec in capillorum ſubſtantiam mutari poteſt) fit, vt cerebrũ plus quàm ratio poſcit humectet, & calui hac ratione, ſanitatis tempore ſoporoſi ſint. In morboſa porro diſpoſitione, per febres ipſas calui ſomnolenti fiunt, quia cerebrum tanquam glandula magna multos a calore febrili ſublatos vapores excipit, qui ſoporoſum affectũ ex eo faciunt, quod cerebrum (propter cranei & cutis capitis ſiccitatem) non poteſt foras excrementitios vapores expellere, ſed intus manentes, ſomni profundi ſoboles exiſtunt. §.35

Quapropter dum caput à calidis vaporibus tẽtatur & dolet, ego ſemper conſulo, oxirrhodinum colo ipſo circumligare, vt vapores per arterias carotidas, & alios canales eleuatos inferiùs deorſumq; repellat, & caput liberum fiat: nã ſic cerebri humectationem prohibeo, & ſoporoſum affectum non timeo: ſufficit enim caluis ſui cerebri humiditas, abſq; eo quod oxirrhodinis magis humectetur, & in ſomnum profundum labantur. §.36

Illud verò quod Hippocrat. & Galen. cõm. 2. in lib. prorriticorum tex. 28. dicunt, ſilentio prętereundum non eſt: interrogat enim, ſomnus an vbique malus? cui dubitationi Galen. reſpondet, Prolixum ac profundum ſomnum per duos, aut tres continuos dies perſeuerans, pueros à magnis morbis ac febribus liberare: illi enim ob nimiam humiditatem, & pororum rarefactionem habent vnde naturaliter vacuentur, & per prolixum ſomnum corroboratis viſceribus inſenſibiliter à magnis morbis liberantur. §.37

Quapropter ſi aliquando pueri ſanguinis miſsione indigere videntur (vt cũ magna febre laborant) libentiùs audaciùſque ego eam hyemis tempore exerceo, quàm verè, & æſtate: calidioris enim temporis ratione augetur naturalis puerorum vacuatio, & inſenſilis difflatio, vt vel nulla aut parca egeãt ſanguinis vacuatione. E contra verò hiemis tempore maior fit in pueris ad ſanguinem mittendum indicatio: nam propter meatuum, & pororum cutis cõſtrictionem, maxima fit humorum ebullitio & paucior difflatio: id quod etiã in adultis qui rara ſunt cute ob eaſdem rationes faciendum eſſe exiſtimo. Hi enim ſi hyemis tempore febricitent, maiorem ſanguinis mittendi indicationem præbent, quã ſi æſtate febribus corriperentur. §.38

De hoc porro ſomno profundo multi verterunt in dubium, vtrum ſymptoma ſemper ſit dicendus, an potius morbus per ſe, inter quos Celſus capite de Marcore, & inexpugnabili ſomni neceſsitate, ſic inquit: Nuncupo ſemper ſymptoma, & non morbum accidens hoc, quod ſoleat potius ſequi alias ægritudines operationes ſenſibiliter lædẽtes, quàm ipſe ſine ipſis accidere: id quod hoc modo intelligere oportet. Si cõſideretur affectus diluens, & humectãs cerebri ſubſtantiam à pituita putreſcente ortus, proculdubiò morbus eſt dicendus in intem- §.39

perie

periefrigida, & humida cum affluxu materiæ: sin verò spectetur difficilis & inexpugnabilis somni necessitas, symptoma est quod sequitur ab eiusmodi morbo. Somnus enim præter naturam, humectato refrigeratoque plusiusto cerebro, oritur. Vt enim calor immodicus immodicè agitat & semper mouet, ita frigus & humor sistunt, & sensus obtundunt.

§.40 Ex dictis insurgit hæc animaduersio, quòd licet pituita putrescens in lethargo calorem quendam putredinis ratione concipiat, non tamen propterea intemperiem calidam in cerebro generat, sed moderatè frigidam & humidam, humor enim pituitosus sua natura talis est, putrescitque in parte frigida, & propterea febrem non accendit acrem, acutam, & erodentem, sed omnino lentam & mitem.

§.41 Dubitant etiam authores, quæ pars capitis lædatur in hoc affectu, occiput, an synciput, an media inter vtramque? Rationem dubitandi præbuerunt Arabes dicentes partem posteriorem in hoc morbo lædi, quòd videant lethargicos obliuiosos esse: non animaduertentes Aristotelem & Auerroem dixisse secundo libro de anima memoriam absolutè fieri à temperamento optimo totius cerebri, & obliuionem ab ipsomet intemperato: quemadmodum imaginatio rationq ab optima eius temperie fit, & earum potentiarum læsio ob imutatum temperamentum: id quod Galenus artis medicinalis capite duodecimo cõfirmare videtur, vbi ponens signa bonæ memoriæ, non laudat temperamentum partis posterioris, sed inquit, quòd facilitas discendi est signum substantię mollis humidæq; temperaturæ totius cerebri, & memoria est signũ permanentis, & siccæ temperaturæ eiusdem: qua oratione innuere videtur, memoriã esse in toto cerebro, & non in peculiari parte, hoc est, posteriori: id quod intelligendum est, prædictas potentias à totius cerebri temperamento principium habere, sed perfici memoriam in posteriori parte, rationem in media, sensum verò communem in anteriori, quarum læsiones ex vitio temperamenti totius cerebri fiunt, sed præcipuè pullulat affectio in aliqua prædictarum partium.

§.42 Id quod animaduertens Galenus. 2. de compositione pharmac. secundum locos, diuersitates curationum harum partium capitis, in essentiam & naturam affectus refert, & non in diuersam rationem affectarum partium: nam licet internæ capitis partes diuersæ sint, & varium situm obtineant, quatenus tamen ad administratione remediorum, perinde est, ac si vna tantùm esset pars: eaque ratione prædicto loco, &. 13. methodi Galenus remedia syncipiti applicare suadet, siue anterior, siue posterior, siue media pars laboret, vt facilè medicamentorum vis in totum cerebrum perueniat, per suturam & ossis tenuitatem ea in parte, vt sæpenumero animaduertimus.

§.43 Prædictæ animaduersiones facilè probant, senes magis obliuiosos esse, quàm alij in quauis ætate constituti: dicitur enim obliuiosa senectus. Nam etsi senes duriore sint cerebro præditi, non tamen ob id memoria præexcellere videntur, quippe cerebrum illorum nimia pituita irrigatur, cuius ratione imaginum impressiones fieri prohibentur, & iam factas pituita eluit, quæ si parum putresceret, parùm à lethargicis senes differrent. Accedit, quòd senes ob defectum calidi innati influentis obliuiosi sunt: vt enim omnes corporis & animæ actiones vitio caloris natiui labefactantur, sic & memoria malè exercetur in illis.

Pueri

Pueri verò, etsi molliore humidioreque sint cerebro, quia tamen calido natiuo abundant, integra memoria pollent, quos largas prolixasque orationes memoriter recitare videmus. Vt hinc rectè dixisse in superioribus intelligas, dum optimum temperamentum totius cerebri maximè conferre, nō solùm ad bonam memoriā, sed ad alias animæ actiones, diximus, cuius vitio memoriam, rationem, phantasiam lædi, est rationi consonum. Quapropter etsi aliqua ex his animæ functionibus lædi potest, reliquis illæsis manentibus, non tamen adeò saluæ manent, quin illis etiā impartiatur læsio, ita vt claudicare parumque lædi videantur: tanta est inter prædictas functiones societas & consensus. §.44

Solet somnus profundus per accessiones febrium pituitosarum oboriri, & quiescente accessione finiri, sed hoc tēpore verus lethargus non dicitur: is enim sopor est continuus cum febre lenta continua: qui ergo per accessiones febrium irruit, lethargus non erit, sed dicuntur eo tempore ægrotantes soporosi seu carotici, quia per carotidas appellatas vapores ascendunt, in declinationibus tamen febrium quiescit sopor. §.45

Non est adeò secura humectatio cerebri quæ fit à vaporibus in febrium particularium accessionibus, vt medicum auertat ab remediorum applicatione. Quin potius vbi virtus languida est, & æger in ætate prouecta constitutus, sæpè videmus maiori ex parte interire. §.46

Succedit hæc affectio vigilijs, aut phreniridibus perperam curatis: nam præter modum refrigerato humectatoque cerebro, importunus sequitur somnus, & arguit tunc marcorem natiui caloris non potentis excedentem frigiditatem superare. Estque eo tempore peior hæc affectio, quàm si phrenitis succederet somno profundo, absumitur enim tunc humiditas superflua cerebri, & moderatur frigiditas calore accedente.

Aluus in morbis capitis ferè semper astringitur, vt ex Rasio constat cap. de apoplexia: id quod etiam lethargicis accidit, habent enim hi diminutā memoriam, & sensum, & propterea ægrè recordantur, & à pituita parum stimulantur, sæpe enim sumpta matula, eam se tenere obliuiscūtur. Quòd si forsan aluus profusa sit, & larga, id quidem nō morbi ratione fit, sed vel ex resolutione musculi sphincteris, vel ex alimenti corruptione (solet enim ratione febris corrumpi) id quod authore Hippocrate libro de morbis folio. 173. signum est proximæ mortis. §.47

Pauci ex hoc morbo conualescunt, vtpote qui marcorem caloris natiui inducat, & propterea lethargus terminatur quidem sæpius morte, interdum superueniēte phrenitide furiosa, raro materiæ coctione, ob virium infirmitatem: sæpenumero materiæ decubitu, ac diffusione in subiectas partes, & præcipuè in thoracem: cuius ratione dixit Hippocrat. lib. coacæ prædictiones fol. 426. Quicunque seruantur ex lethargicis, vt plurimum suppurati fiunt. Quæ sententia difficilis admodum videtur. Nam graui morbo (qualis est lethargus) graue malum (quale est suppuratio) superuenire difficilem suspectamq; sanationē ostendit. Cùm enim ex præcedenti morbo vires maximè labefactatæ sint, quæ in suppuratione valentes semper desiderantur, proculdubiò ea succedente, incerta salus speranda est. Dicamus ergo cum Hippocrate, 3. de morbis fol. 173. quòd lethargici, qui præter spem euadunt, suppurati fiunt: pituita enim in cerebro putrescens, diffusa, facillimè per guttur in thoracem discurrit: qua in parte conclusa manens, ratione caloris in thorace abundantis suppuratur cordis gratia, §.48

ea

ea in parte siti. Facilis ergo est à capite in thoracem fluxio, quia guttur semper patens est, præterquàm in transgluttiendo, vt libr. de locis hominis tex. 40. diximus: id quod maxima cum ratione in lethargo contingit, in quo ægrotãtes adaperto ore dormiunt, neque valent ob torporem partium fluxionem decũbentem per os aut nares extra corpus expellere.

§.49 Abscedit etiam humor lethargi causa in tumores retro aures, crassa enim & frigida materia nõ potest longiùs abscedere (nisi forsan, vt diximus, fundatur, liquetur, & in thoracem decumbat) sed ad proxima loca decurrit. Hi verò tumores sæpenumerò visi sunt in salutẽ ægrotãtiũ cedere, aliquãdo in perniciẽ. In salutem quidem, quando materia lethargi non multa est, sed ea quantitate abundat, quæ possit à facultate assumi, & in adenas expelli, ibique vel discuti, vel suppurari. Et licèt resolutio materiæ tumores generantis maximè procuranda sit à Medico, tamen ego plus in hoc casu suppurationem exopto, quàm resolutionem: hæc enim in materia adeò crassa, & in parte adenosa conclusa, nunquàm perfectè exercetur, sed remanet crassior pars, quæ hominem suffocare sæpius visa est. Suppurationem verò laudo, quia per eam commodiùs expurgatur cerebrum, & crassa materia absumitur. Quando autem copiosa est lethargi causa, non potest natura omnino cerebrum liberare, & tunc vel vtrique parti sit satis copiosa, aut duobus morbis infestato ægro, (tumore nempe retro aures, & lethargo) succumbet, vel abscedente multa materia retro aures, suffocabitur homo.

§.50 Vrina lethargicorum crassa, vel turbida est, vt omnibus scribentibus placet: cuius euentus rationem non omnes assequuntur. Cùm enim ex Galeno cõstet 1. de crisi. c. 12. & quarto de sanitate tuenda, crassam turbidamque vrinam crudorum humorum multitudinem in venis à calore agitatam & feruentem indicare, proculdubiò difficile videtur, vbi lethargus à pituita in solo cerebro putrefacta oritur (nihil interim venis totius corporis patientibus) vrinam debere esse crassam vel turbidam. Qua ratione motus Leonardus Iachinus eiusmodi vrinã non esse signum pathognomonicum pronuntiat, sed potius superueniens, affectus difficultatem & magnitudinem monstrans. Mihi verò difficillimum videtur, quòd lethargus à sola pituita putrefacta in cerebro, sine venarum vitio prouenire possit, cum verus lethargus febrem sibi continuam asciscat, cuius focus & minera genus venosum cordi propinquũ est: quo in loco putrefactus humor sui copiam cerebro suppeditat, & lethargum facit. Quòd si pituita in cerebro abundans putrescat, & per venas totius corporis confluat, febrem similiter continuã facit, ex cuius ebullitione & feruore crassam vel turbidam vrinã fieri est necesse. In cataphora verò quæ fit in accessionibus febrium intermittẽtiũ, quia vt in plurimum à vaporibus moderatè calidis & humidis oritur, visa est sæpenumerò vrina bona: cuius euentus rationem ad raptum materiæ in caput referũt Medici, non animaduertentes, quòd etiamsi singulis accessionibus ferueat humor, potest tamen vniuersa materia esse cocta. Accedit, quòd in lethargo dolor capitis adesse debet, quem vrina crassa, & veluti iumentorum turbida, futurum fore aut iam factum esse monstrat.

§.51 Pulsus lethargicorum magnos, raros, tardos esse describit Galen. facta collatione ad pulsus peripneumonicorum: magni quidem fiunt, ob auctam necessitatem ratione febris: tum etiam ob instrumenti obedientiam: quia verò febris in lethargo non tam acuta est, quàm in peripneumonia, eo quòd locus affectus fri-

gicio:

gidior est,& procul à corde situs, ideò pulsus in lethargo rariores & tardiores sunt,quàm in pulmonia,quæ propter viciniam cum corde magis inæquales edit pulsus:ex propinquiore enim loco maior noxa cordi communicatur, & magis facultas defatigatur quàm ex longiori parte. Quia verò video Medicos plures pulsus lethargicorum attrectantes,paruos sibi videre esse,cum re vera, magni sint,castigandos esse censeo,tanquam artis dignoscẽdorum pulsuum ignaros. Pulsus enim lethargicorum comprimente manu dignoscendi non sunt,ne obũbret pessumdetque eorum magnitudinem,sed suspensa leuique manu iudicãdi. Languidi enim pulsus licet magni sint,non ferunt digitorum fortem compressionem:quo etiam fit,vt plures differentiæ pulsuum non assequantur: virtus enim imbecilla non sustinet importunam compresionem arteriarum, vt dignoscantur.

Pro sedando somno profundo id considerandum est,quòd cum periculosissimum symptoma sit,non oportet exacta methodo vti in remediorum applicatione, sed quolibet tempore nunc hoc,nunc illud remedium moliendum, vt torporem,ac veluti demortui languorem vitare posimus. Qua in re audaciã in experiendo expostulat Aretheus Cappadox.lib.1.curationum acutarũ ægritudinum cap.2 dicens,opus esse remediorum periculum facere,imperitia namque timoris & cautionis causa est.Quapropter nunc tumultuosa vociferationẽ excitandus,nonnunquam iracundè increpandus deterrendusq; est æger,quandoq; quæ per salutem optabat,annuntianda,& quæ timere solebat,incutienda, & denique quæcunq; visum & auditũ porritare queunt obijcienda,ita vt pedes premendo tractentur,pilli vellantur,& membra omnia scalpantur. §.52

Inedia integra in hoc somno profundo mala est,non enim cum tanta crudæ pituitæ copia vires integræ esse possunt. Quapropter os ventriculi per totum diem refectione caloreq; indiget,eaque ratione exiguo cibo attenuante,aluũq; molliente vtendum est.Cui vsui opportuna sunt iuscula ex mercuriali,apio, fœniculo,cimino,aut ex horum seminibus confecta cum modico aceti: hæc enim intestina(quæ per hoc symptoma quasi emortua redduntur)prorritare, & lotiũ simul euocare sunt apta.Hac ratione clysmis acribus & validis(in quibus multũ salis & nitri inijciatur)vtendum,non solum stercoris educendi gratia, sed etiã vt aliquid à superioribus partibus reuellatur,& à capite deriuetur: nonnihil tamen castorei immiscendum,vt imum intestinum,quod veternosis omnibus frigidissimum est,& quasi emortuum,ad excretionem excitetur,& calescat.Habet enim castoreum miram in profligando hoc symptomate virtutem,siue deuoratum,siue ventri aut capiti illitum,siue clysmis inspersum.Nam vltra vtilitatem quæ ex eo prouenit,supra infraque flatus expellens, & nonnullis vrinam stercusque detrudens(si fortè in omne corpus eius virtus dilabens penetrauerit)firmos atque robustos neruos reddit,& habitum ad calidum siccumque permutat, & speciem morbi conuertit. §.53.

Parcè in hoc morbo mittendus sanguis est, etiam si somnus profundus sui ratione, & cum præsentia sanguinis ingruat:nam pituita huius mali author,calfacienda,attenuanda,& per imum ventrem expurganda potius est, quàm sanguinis misione abigenda. Sanguinis enim missio sicut ad biliosorum ebullitionem,ita ad crudorum infrigidationem nonnunquàm perducit. Quæ præcipuè vitãda est,vbi ex phrenitidis trãsmutatione lethargus oboritur. Vt enim suprà diximus,eiusmodi abscessus marcorem omnium ferè facultatum indicat. §.54.

Si

§.55. Si igitur copiosa expurgatio per ventrem molienda est, phlegmagogis medicamentis vtendum, qualia sunt mirobolani chebuli, emblici, bellerici, salgema, hyssopus sicca, thymus, cucumer asininus, hermodactyli, zinziber, centaura, sambucus, anacardus, serapinũ, collocyntida, turbit, sthœcados, ireos, sarcocola, been, euphorbium, scyla, asarum, agaricus, carthamus, opoponacum, iusgallorum decrepitorum, & denique genus omne lacticiniorum, ex quibus singulis & inter se mistis pituitæ educendæ commodum medicamentũ parabis. Sin verò mediocriter purgare velis, hyeram picram propinato, drachmarum duarum pondere, cum vncijs sex aquæ mulsæ mistam.

§.56. Et quamuis hyera picra propter magnam aloës quantitatem suspecta sit, somnum enim natura sua allicit & conciliat, teste Dioscoride (habet namque aloës partes quasdam præpingues, & lentas, quæ in ventriculo immorãtes, sursum a se vapores emittunt, & somnum conciliare sunt aptæ) nihilominus eius vsum nõ veretur Aretheus capite de veterno, cùm per admistionem aliorũ medicamentorum hyeræ compositionem ingredientium corrigantur, quæ somnum conciliare valent partes.

§.57. Solẽt per hoc symptoma extrema corporis adeò frigescere, vt emortua esse ferè videantur. Quapropter vt calorem acquirant & rediuiua fiant, caput totum circa synciput oleo anethino, cui nonnihil castorei admistum sit, irrigato, quocum manus, humeri, pedes, & imus venter & vesicæ regio fricentur, vt non solũ flatus suprà infràque eliciantur, sed vt pro totius corporis ignauia & segnitie, agilitas mobilitasque membrorum succedat.

§.58. Non abs re Auicen. cap. de ventosis dixit, cucurbitularum applicationem supra nocram (est autem nocra locus inter scapulas) amentiam generare, mutuans illud ab Aretheo capite de veterno: redditur enim frigidius cerebrum, attrahẽtibus nimirum cucurbitulis cerebri calorem ad coquendam pituitã in ipso maximè necessarium: quia ergo non sine virium molestia cucurbitulæ apponũtur in hoc morbo, consultum est apud Aretheum post conuenientes euacuationes factas, vnam solam cucurbitulam vertici capitis applicare, quandoquidem per eam partem sine vlla virium iactura vacuare possumus. Hoc remedij genus pro secreto habuit Iaso Pratensis capite de apoplexia, mutuatũ ab Aretheo (quamuis subticuerit authorem) id quod Rasius non prætermisit lib. de sectionibus & cauterijs & ventosis, propè finem.

.95. Quia verò dum has somni profundi animaduersiones scribebamus, orta est inter quosdam non contemnendæ authoritatis Medicos Hispalenses controuersia, vtrum delirium signum sit pathognomonicum lethargi, necne? vno quidem id ipsum affirmãte, altero verò contra negãte, placuit quid in hac re sentiã aperire. Quamuis enim rem hanc nullus (quem ego nouerim) tam ex antiquis, quàm ex neotericis author vllo in loco in controuersiam adduxerit, (forsan ea ratione moti, quod videant deliria calidas potiùs quàm frigidas cerebri affectiones sequi, & quòd caliditas mobilitatem agilitatemque corporis parit, sicut è contra segnitiem frigiditas & stuporem in actionibus generat) nihilominus nos, an delirium simul cum lethargo oriatur, & simul intereat (quæ est pathognomonici signi intrinseca ratio) an è contra sine ipso generetur & finiatur? paucis absoluemus.

§.60. Delirium duplex est: Alterum quidem quod affectionem phreniticam & (vt sic dicam) furiosam importat. Qua significatione vtitur Hippocrates, quoties-

cunque

cunque calidissimam cerebri affectionem indicare vult, siue ea inflammatio sit de genere tumorum, siue phlogosis, aut incendium, cum febre acuta, vt patebit, si omnes epidemiorum historias percurras. Quia verò lethargicus affectus tepidam potiùs, quàm calidissimam cerebri affectionem facit, primam hanc delirij acceptionem à præsenti disputatione explodendam censeo. Quamuis enim pituita putrescens diluensque substantiam cerebri in lethargo, calorem quēdam putredinis ratione concipiat, non tamen proinde calidissimam intemperiem in cerebri substantia generat, quin potiùs moderatè distemperatam versùs calorem. Pituita enim natura sua frigida cum sit, & in loco frigido putrescens, non potest calidissimam intemperiem (quæ valeat phreniticum furiosumque delirium facere) in cerebro generare: qua ratione factum est, vt lethargus inter frigidos potiùs, quàm calidos capitis affectus connumeretur.

Alterum autem est deliriũ non stricto modo sumptum (vt primum) quod importat omnem vitiatum motum sensuum internorum, per quem ægrotātes nugari, garrire, ac mediocriter desipere videntur: id enim significat vox Græca, λῆρ☉, si Galeno credendum est. 7. aphoris. 9. dicent: Ipse siquidem Hippocrates solet mediocrem insaniam, delirium nominare, & comment. 3. in lib. 3. epi. text. 34. in fine. sic inquit, Delirium paruæ demētiæ signum esse, sæpe docuimus, & vt summatim dicā, solet Hippocrates (vt mea fert opinio) non eos solum deliros appellare, quibus cerebrum calidis excrementis abūdat, sed quoscunque mente alienatos, etiam à crudis succis infestato cerebro, vt videre est libro de morbo sacro in hunc modum scribens: Fit autem corruptio cerebri à pituita & bile: vtriusq; cognitio sic contingit. Qui enim à pituita insaniūt, quieti sunt, & non vociferantur, neque tumultuātur: qui verò à bile, vociferatores sunt & malefici, & non quieti, semper aliquid intempestiuum facientes. Et vt indicaret in lethargo delirium adesse, paulò inferiùs sic inquit: Angitur autem homo & inquietudine multa iactatur intempestiuè, dum cerebrum perfrigeratur, & præter consuetudinem compingitur, hoc verò à pituita perpetitur: ab hac etiam affectione obliuiosus euadit: id quod. 2. de morbis cōfirmauit dicens: Tussis oboritur, saliuā spuit multam ac liquidam, & nugas garrit, & vbi nugari desierit, dormit, &c. Sed omissis Hippocratis testimonijs luce meridiana claris, huius assertionis multiplex erit ratio. Prima quidem, quia si Aristoteli, & eius commentatori. 2. de anima, necnon Galeno libro artis paruæ fides adhibenda est, manifestè docent, sat esse ad læsionem functionum cerebri, proprium ipsius tēperamentum subuersum atque immutatum esse, siue à causa calida, siue à frigida, humida vel sicca. Optimum enim cerebri temperamentum causam esse dicunt actionū rectarum internorum sensuum. Non enim ratio vel imaginatio in excellenti caliditate cerebri consistit, sicut neque memoria in humida (cui facile rerum imagines imprimantur) aut in sicca (à qua difficilè deleantur) sed in optima & cerebro conuenienti temperie consistunt. Quòd si hoc verum est, sequitur facilè, quācunque distemperiem (quæ proprium cerebri temperamentum immutare valet) actiones omnes cerebri necessariò commouere, quasdam magis, quasdā minus, prout causam habuerint, his, aut illis actionibus, magis aut minus proportionatam. Omnes tamen in consensum trahi est maximè rationi consonum. Sicut enim vitia cerebri (siue cum affluxu humorum, siue sine illo) facile tenui meningi impartiuntur, & è contra tenuis meningis vitia cerebro, vt cōstat ex Gal. 4. de præsag. ex pul. cap. 9. in princip. ita facilè impartitur temperamento quid.

quid corpus cerebri afficere valet:id enim est quod Hippocrat.dixit.6.epi.illo: Melancholici magna ex parte morbo comitiali afficiuntur,& è contra:in cuius expositione Galen.hoc dicit fieri,prout humor vergit ad corpus,aut ad animã, hoc est,ad temperamentum.Quapropter non mirũ est si frigidi cerebri affectus, qualis est cataphora somnolenta, caros,catochus, hemiplexia, paruaque apoplexia,melancholia,epilepsia,obstruendo cerebri substãtiam,eamq; plus iusto refrigerando,humectando,vel siccando,proprium cerebri temperamentum (à quo rectæ & ordinatæ cerebri operationes proueniunt)subuertãt atque immutent, cuius ratione ægrotantes in parua quædam deliria incidant: hi enim omnes non recta ratione interrogatis respondere aliquando videntur,sed cũ quadam mentis motione,vel aliena loqui,vel nugari,vel circa visa,aut audita errare,vel praue ratiocinari,aut obliuisci audiuntur,nempe immutato cerebri temperamento.Id quod nec prætermisit Hippoc.lib.de morbo sacro,dicens: Hæc omnia perpetimur à cerebro,cum sanum nõ fuerit,sed aut calidius quàm ex natura sua,aut frigidius,aut humidius,aut siccius,aut aliquid perpetiatur præter naturam,& consuetudinem.Hæc Hippocrates.Licet enim quidam ex ijs præcipuè stupidi sint,alij miris modis somnolenti,alij aliter affecti,nihilominus omnibus (ob rationem dictam)aliquantulum mens mouetur &vacillat.Animales enim facultates rectrices, imaginatio nẽpe,ratio & memoria,cum non distinguantur loco(vt tenet doctissimorum schola)facillimè vna læsa,læduntur omnes: nam licet concedamus in cerebro ventriculum anteriorem,medium,& postremum, in longè diuersos vsus à natura esse constitutos asserimus,quàm vt in illis peculiariter consistat aliqua rectricum facultatum:in anteriori enim ventriculo spiritus animales elaborantur. Medius tãquàm trãsitus est spirituũ. In postremo, vbi cerebellum est,viget maximè animalis facultas.Itaq;(vt nostra fert opinio) imaginatio,ratio,& memoria in totius cerebri temperamento consistunt, non in anteriori,media,aut postrema parte.Quapropter etsi videatur aliquando aliqua ex his functionibus læsa,reliquis illæsis,re tamen vera,non adeò saluæ manent (vt diximus)quin potius omnes claudicant & vacillãt. Tãtus est inter prædictas functiones consensus & societas.Id quod Aetius ser.2.tetra.2. cap. 2. insinuauit,de læsione partis posterioris capitis loquens.Nam posteriore parte circa occipitium læsa,perijt(inquit)memoria,& cum ipsa etiam omnino reliquæ duæ facultates.

Galenus prætereà.2.de composi.pharmacorum localium rubrica prima id ipsum confirmare videtur: eò enim loco diuersitatis curationis affectum harũ partium cerebri,in essentiam & naturam affectus refert,& non in diuersam rationem affectarum partium:licet enim cerebrum in partem anteriorem,mediã, & postremam diuidatur,habeantque eiusmodi partes varium situm: quatenus tamen ad administrationem remediorum pertinet,perinde est ac si tantùm vna esset pars:eaque ratione prædicto loco Galen.remedia syncipiti applicare suadet,siue anterior pars,siue media,siue postrema laboret,vt facilè medicamentorum vis in totum cerebrum perueniat per suturam coronalem & sagittalẽ. Accedit,quòd os syncipitis tenuissimum est.

§.61. Quòd si hoc contingit ex immutatione proprij temperamẽti cerebri à causa frigida non putrefacta,multo magis erit rationi consonum delirium oriri, quã primum cerebrum diluitur,humectaturque à pituita putrescente in lethargo, & desinere simulac lethargus desinit.Cuius rationem Galen.comm.3.in lib.3.epi. tex.45.

text.45. in hunc modum subnectit. Non est igitur mirum, inquit, crudis collectis humoribus, vt excrementa commonstrarent, soporosos illos simul & dementes euasisse. Soporosos quidem ex multitudine & frigore crudorũ succorum, dementes verò quod putrescentes acredinem pariebant & calore: & propterea rectè dixit Hippocrates loco citato: neque phreniticorum quisquam vehementer insaniuit, sed mediocri delirio, & leui mentis motione vnusquisque detinebatur.

Est & alia in lethargo delirij ratio non contemnenda ex Galeno desumpta commen.1. in lib. prorrhiticorum tex.1. eo enim loco exquisitum lethargum nõ ex sola pituita putrescente oriri dicit, sed ex paucæ bilis mistione cum ipsa ortum ducere asseuerat, ex cuius copia, aut paucitate, vel delirium simul cum somno profundo ingrauescit, vel minuitur, quousque affectio Typhomania dicta, oriatur, quæ ex bile, & pituita aquæ portione mistis fit. At quod exquisitus lethargus fiat à parua portione bilis cum pituita putrescente, ac proinde delirium simul cum lethargo generetur, & finiatur, facilè monstrat hæc ratio. Non enim exquisitos humores in corpore generare videmus, quin potius mistos atque inuicem promiscuos. Quemadmodum enim in natura corpora exactè simplicia non sunt, Platone authore in Timæo, vbi ignem (qui simplicissimus videtur) igneum quoddam appellat: ita in corpore nihil simplex esse potest, sed omnia sibi inuicem permiscentur: id quod præcipuè in cerebro experimur, in quo nunquàm sola pituita aut bilis, aut melancholia, aut solus sanguis morbos excitat, sed ad morborum generationes semper humores promiscuè miscentur. Atque hæc est ratio ob quam practicantium Medicorum optimates in capitis affectibus promiscua medicamenta expurgantia semper parant, quæ non vnicum, sed binos, aut plures humores euacuent, existimantes quidem permistionem humorum in vniuerso corpore, & præcipuè in capite, sobolem esse morborum eius partis. Quod si aliquando synceros humores excerni dicamus, non eo dicimus, quod re vera meri, ac synceri sint, sed quod talis mistio exactè sensibus deprehendi non potest, sunt enim humores inter se misti & confusi.

Et vt omnia hæc in compendium redigamus, excludimus à præsenti disputatione delirium furiosum ac phreniticum, quod soleat calidissimas cerebri affectiones sequi, & controuersiam intelligendam esse asserimus de delirio mediocrem, ac leuem mentis motionem significante. Hoc à quacunque causa siue calida, siue frigida, humida, vel sicca, materiali siue immateriali immutante subuertenteque optimum cerebri temperamentum oritur. Et quod magis difficile videtur, si delirium aliquando fit à debilitate cerebri, vt constat ex Hippocrate. 7. aphorismorum. 9. dicente, à sanguinis profluuio desipientia ac conuulsio, malum. (Nam propter largam sanguinis à capite vacuationem, siue ea fiat per nares, siue per os, & palatum, frigido ac debili remanente cerebro, delirium oritur perniciosum) quantò magis à causa materiali frigida putrescente in cerebro, & acredinem comparante (vt contingit in lethargo) delirium orietur, quàm primum lethargus oritur, & finietur, lethargo finito. §.62.

Superflua vigilia laborosior multò est ægrotantibus quã somnus profundus, gaudet enim ægri somno (etsi profundissimo) & nunquã de eo cõquerũtur: at si superflua vigilia opprimatur, solet maximo cũ conatu, & importunis verbis re- §.63 *Superflua vigilia.*

media à Medicis pro ſomno inducẽdo expoſtulare. Vigilias faciũt omnes cauſæ quæ ſomnũ interpellare poſſunt: quales ſunt, dolor, æſtus, oppreſsio, & quæcũq; aliæ graues & moleſtæ infirmis eſſe poſſunt, & cõtinuò affligẽtes. Quapropter vigilia magis propriũ ſymptoma eſt febriũ cõtinuarũ, quã interpollatarum. Nam in cõtinuis calidus acriſq; vapor ſolet cerebri ſedẽ aſsiduè ferire, caputq; exſiccare, & ſpiritus ſupra modũ attenuare, eoſque variè diſpergere: eaque ratione vigilia ſuperflua accidit. Dũ ergo hæc fieri cõſpexerit prudẽs Medicus, ad cerebri humectationẽ, & caloris attemperationẽ properare debet, timẽs ne cerebrũ inflãmatione corripiatur, & tãdem viribus diſſolutis ægri ſuccumbant: cui vſui opportunum eſt vnguentũ populeonis naribus, & temporibus applicitũ, necnõ papaueris, violarũ, nenupharis decocti irrigatio cõmoda eſt, ſicut brachiorũ, crurum, & pedũ lauatio. Accedit huc vſui remediũ ſecurũ, cuius nos ſæpenumerò experimentum fecimus. Columbam (interaneis auulſis) ſumimus, quorum loco, puluerẽ ſeminis hyoſciami immitimus, & capiti ſuperimpoſitã, ſomnũ mirificè allicit: id quod hyoſciamus facit ſe ſolo ſub capite poſitus. Sed id quod ſecuriùs adhuc ſomnũ cõciliat, iã dicã. Vtrẽ ego magnũ aqua plenũ, aut duos mediocris magnitudinis parare facio, ſupra quos ægrũ vigilia infeſtatũ ſterno, & quieſcere ſino, donec corpus ſomno refectũ eſſe cognoſco. Sed hoc remedij genus vigiliã expoſcit ſuperfluam, & corporis maximã ariditatẽ. Abſynthiũ prætereà quadã occulta & indicibili proprietate ſub ægrotantis capite (vigiliã patientis) poſitum, mirum in modum ſomnum prouocat: id quod ab empyrico quodam accepimus.

§.64 *Capitis dolor.* Capitis dolor ſymptoma eſt tã intermittentiũ quã cõtinuarũ febriũ. In intermittẽtibus ſolet dolor capitis in hora acceſsionis excitari, quo tẽpore nõ oportet caput oxirrhodino irrigare, quia impedit quominus vapores tranſpirent, & ſua frigiditate conſeruabit dolorẽ qui ſolet per acceſsiones ceſſare. In cõtinuis verò ſi dolor ſit ſignũ criticum, tunc talis dolor ſedandus nõ eſt: ſi verò ſymptomaticus & vna cũ febre inuadat, tunc ſimul cum febre curãdus erit, venæ ſectione, purgatione, & ne ad caput humores trahantur, repellentibus vtendum eſt. Si autem febribus cõtinuis ſuperueniat, & perſeuerantiã habuerit, eodem modo ſedandus; ſin autem nõ perſeuerauerit, ſed ceſſante acceſſione quieuerit, tunc curandus non erit. Cauſam doloris capitis in febribus poſuit Hippocrates lib. de flatibus, dicens: Inſuper autem & dolores capitis ſimul cum febre accidũt, cuius rei hæc eſt cauſa. Sanguinis tranſitus in capite magna anguſtia coarctantur, cuius abundantia & concluſio dolorem excitant in capite. Sanguis enim ipſe natura calidus exiſtens, vi coactus, per anguſtam viam tranſire celerrimè non poteſt, cum multa impedimento ſint obſtacula & opilationes, quapropter pulſus etiam fiunt circa tempora.

§.65 At dum Fernelij Ambiani hac in parte animaduerſionem conſidero, ſtatim venit in mentem Galeni dictum præclarum. 6. aphoriſ. 34. dicentis: Cùm inter ſcripta prudentis alicuius viri ſententia aliqua reperitur difficilis, tunc legentes adhærere atque dubitare debent, nunquid falſum ſit, quod ſcribitur? Inquit ergo Fernelius, Dolorem partis anterioris capitis ſymptoma eſſe febriũ: quòd ſi poſteriorẽ capitis partẽ, aut latera dolere cõtingat in febribus, tũc eiuſmodi dolorẽ peculiarẽ habere cauſam in capite, eſſeq; ſopitã, atq; calore febrili exaſperari & ſuſcitari. Cuius animaduerſionis (meo iudicio) nõ vna, ſed multiplex cauſa exiſtit, Gal. authore. 6. epi. ſect. 1. tex. 1. de febribus ex putridine ortis ſic loquẽte.

Hæ verò febres calentium vaporum vim haud paruã in caput submittunt: verũ capite quauis de causa horum vaporum pleno, grauitates maximæ in syncipite hominem vexantes apparere, illi quibus artis opera curæ sunt, notũ habuerũt. Primum igitur vapores illos calidos proximè dictos, per arterias in caput subuolare ratio ostẽdit: ipsas verò arterias per collum ab vtraq; infundibili parte, recta in synciput discurrentes videre licet. Prætereà & omni sanitatis tẽpore tenuia & halituosa excrementa cerebri, maximè per synciput difflare solere, affirmamus, siquidẽ in ipso suturæ laxæ sunt, & ipsa caluaria subtilissima, plurimisq; meatibus peruia. Ad hæc & multa sensibilia corpora per suturas euadũt, mẽbranulæ enim quædã crassũ cerebri inuolucrũ pericranio vocatæ tunicæ cõnectũt, & multitudo tenuiũ vasorũ per suturas exilit. Aequales autẽ magnitudine affectus sensibiliora naturaliter corpora magis percipiũt, magis verò sentientia ab inferentibus dolorũ causis magis cruciantur. Hæc Gale. Quibus sanè de causis in syncipite dolores fieri in febribus manifestè patet, nisi in reliquis capitis partibus doloris causa sopita sit, quæ calore febrili rursus excitetur. Accedit, ꝙ partes posteriores frigidæ sunt respectu anteriorum, quę calidiores multo sunt, vt Gal. monstrat. 5. apho. 69. & 6. epi. cõm. 3. tex. 19. Quapropter maior in ijs partibus sanguinis & venarum occursus, & per cõsequens maior euaporatio, ad quã statim sequitur & dolor, & grauitas anterioris partis capitis.

Antequã de delirio, quod symptoma est febriũ, agamus, oportet rursum ante acta symptomata recogitare. Tria enim sunt febriũ symptomata maximi momenti. Vigilia superflua: capitis dolor, & deliriũ. Hæc cũ insignem sunt adepta magnitudinem, vehementiam & acuitatem, simul & cõtinuitatẽ, febrẽ ipsam ad septimũ vsq; terminãt. Nã fieri nõ potest, vt dolor capitis, vigilia, & deliriũ vehemens & cõtinuum cũ febre vltra septimũ iudiciũ differat, quin aut ad salutẽ terminetur morbus, si cũ bonis signis cõiungantur, aut ad mortẽ, si cũ pessimis, aut ad melius, aut ad peius, si cum signis mediæ significationis copulẽtur, qualia sunt signa critica. Quòd si aliquando vltra septimũ absq; iudicio, aut mutatione protrahi videãtur talia symptomata, tũc existimare oportet, aut in vehemẽtia, aut in acuitate defecisse. Huius animaduersionis author est Hippoc. 3. prog. sic Galen. texens orationẽ. Capitis dolor vehemens, & continuus cum febre, si aliquod ex indicijs extiterit exitiosis, integrè lethalis est. Si verò ex ijs quæ dixi cisti de ægro conualituro speres, à principio quidẽ ad septimũ vsq; sanguinis è naribus fluorem expectato: id quod cõfirmat historia illa Melidæ, quæ decubuit iuxta ædẽ Iunonis. 1. epi. in fine. Huic enim caput, collũ & pectus magnoperè cũ febre doluisse scribit, doloresq; perpetuos fuisse, quã ait die septimo sudasse, febremq; intermisisse. Sed quod ad vigiliã attinet, adolescentulũ qui in mẽdaciũ foro de igne correptum fuisse scribit Hippocr. 3. epid. hic cum vigilias pateretur, aliaq; signa exitialia haberet, ad septimum obijt: in cuius expositione Gal. refert hunc adolescentulum omnibus diebus nihil planè dormiuisse, hoc idem mulieri abortione infantis à febri ardẽte correptæ & vigilias patiẽti cõtigit. §. 66.

At de delirio quod symptoma est febrium acutarum, multa sunt Hippocratis testimonia morbum (sicut & reliqua proximè dicta symptomata) celerrime finire comprobantia. Generatur hoc symptoma in vehementioribus febribus, vi caloris, commotis nimirum spiritibus præter naturam: cuius rei argumento sunt equi, & reliqua animantia, quæ caloris ebullitione immoderatè agitata, inæqualibus inordinatisque, & omni ratione

corruptis motibus ciētur:quo fit,vt delirium bilis flauæ,aut sanguinis,aut vaporis biliosi dominiū semper mōstret,aut calidam omnino affectionem nuntiet: intelligendū est hoc de delirio furioso:nā mediocria deliramenta à reliquis causis oriri possunt,vt supra diximus de lethargo & somno profundo loquentes.

§.67. Et licet delirare ægrotantes raro videatur in principijs morborū,sed ipsis ingentibus,nihilominus si aliquando ab initio delirium vsque ad iudiciū perseuerauerit,tunc periculosissimā affectionē ostendit & breui finiendam(si cū bonis signis coniungatur)ad salutem,(si cū pessimis)ad mortē,si ad melius aut peius, media signa cōmittetur.Nō loquimur hic de delirio cōtinuò,quod cerebri,aut septi transuersi immutatū tēperamentū repræsentat:nā hæ affectiones, morbi sunt,non symptomata.Nō possumus tamē nōnihil de delirio ex septi trāsuersi inflammatione orto scribere in gratiam practicātium,nū illud cerebri temperamentum subuertat? & qua ratione perpetuò delirent qui eius partis inflammatione molestantur,reliquis partibus corporis(etiamsi inflammētur)illæsis manentibus:vt ventriculus & pulmo.

§.68. Video in hac re Gale.cæterosq. scribētes,nullā propositæ dubitationis exhibere rationē,sed assertiuè & veluti per traditionē dicētes,antiquos septū transuersum phrenas,idest mentem,appellasse tanquàm sapienti parti aliquid conferētes.Solus Hippocrates,aut vir ille eximius & doctus,qui librum de morbo sacro scripsit,visus est prope finem libri priscos reprehendere,quòd hanc partem mentem appellauerint,cum neque hæc pars mens sit,neque in illa mens resideat,sed in cerebro veluti in arce & domicilio proprio.At verò hāc partē multum conferre sapienti parti,vel ex hoc patere potest,quòd ea inflammata perpetuò delirare contingat.Cuius sententiæ ratio non vnica,sed multiplex assignari debet,vt ex multarum complexu innotescat, quomodo septū trāsuersum aliquid sapienti parti conferat.

§.69. Atque in primis septi transuersi consensus cū cerebro per neruos sextæ coniugationis(eosque insignes)multū facit,vt ipso inflammatione affecto cerebri spirituumque temperies subuertatur & immutetur.Nam propter putridas calētesque fuligines continuò ab inflammatione septi ascendentes,& spiritus animales immutantes,delirium tanto tempore durat,quantò inflammatio perseuerat:continuò autem ascendere,ex eo patet, quòd diaphragma perpetuò in motu consistens(veluti flabello)putridos vapores in cor & cerebrum,putridasque fuligines eiaculatur.

§.70. Accedit ad hoc,quòd ea pars instrumētum præcipuum est respirationis,quo læso maximè læditur respiratio:at cum aer inspiratus multum conferat pro spiritibus vitalibus,& animalibus generandis,qui dum benè tēperati purique sunt, sapientis animæ instrumentum esse censentur:cum verò prauè affecti, desipientis,fit vt Hippocrates lib.de morbo sacro non solùm aërem sapientiæ conferre dixerit,sed & septum transuersum (aeris ipsius moderatorem) aliquid sapienti parti conferre est existimandum.Præterquàm quod ea parte inflammatione affecta,non solùm praui & malè temperati generantur spiritus,sed etiam in parua quantitate,non potentibus nimirum partibus præ dolore & angustia magnā & necessariam(vt bona pars spirituum gignatur)respirationē edere, sed modò frequentem ac paruam,modò magnam atque suspiriosam.

§.71. Hanc sententiam videtur confirmare Galen.5.de locis affect.cap.3.vbi postquam septi transuersi inflammationē delirij esse causam dixit,& quòd antiqui

hanc

hanc partem ſapienti animæ multum conferre aſſeuerauerint, tãdem viſus eſt huius reddere cauſam, dum Ariſtotelem reprehendit, quod hãc partem ſuccinctam appellauerit, neſcius ipſam magnæ, ac per quã neceſſariæ actioni in animalibus eſſe deputatam, quippe quæ reſpirationis inſtrumẽtum eſt. Quaſi vellet dicere, quod ex læſione huius partis, ſpiritus vitales in ſiniſtro cordis ventriculo læduntur, à quibus animales qui in cerebro oriũdi ſunt prauè affecti, cerebrũ ipſum immutantes mentem, vt diximus, aberrare faciunt.

Et licet pulmo inflammatus calentium vaporum vim non paruam in caput immittat, quia tamen cum cerebro non communicat per tantos tamq; inſignes neruos, vt diaphragma, ideò pulmone inflammato delirium nõ ſequitur, ſepto verò læſo perpetuò delirare contingit. Ventriculus porrò inflammatus etſi cũ capite maximum habeat conſortium (non ſolùm per neruos inſignes, & multitudinem vaſorum, per quæ veluti per caminum permeant vapores, vt diximus lib. de locis hominis text. 4 & 5.) quia tamen non cõtinuò impelluntur putridi vapores, vt à ſepto flabellante, ideò delirium non ſequitur, vẽtriculo inflammato, diaphragmate verò læſo oritur. Quanquàm nõ defuerint qui id ad analogiã partium referre conentur. Accedit, quòd illæſo manente diaphragmate, commoda illius ventilatio ſufficit, vt ſpiritus non adeò praui & maligni generentur. §. 72.

Inquietationis nomen Galeno authore. 1. progn. tex. 12. ſignificat ægros cõflictari, ac moueri quouis motu, vnum ex alio locum mutantes, membra omnia inæqualiter per lectum diſpergentes. Hoc ſymptoma propter ventriculi vitiũ aliquando oritur, confluentibus nimirum ibi vitioſis ſuccis. Fit etiam nonnunquàm propter virtutis debilitatem non potentis diutiùs vno in loco membra continere. Aliquando verò copia praui humoris principem aliquam partem obtinentis inquietationem facit: id quod in febribus malignis ſæpe cõtingit, & variolis & morbillis erumpentibus. Nam in quibus cõtinua adeſt inquietatio, princeps pars maligni humoris læſionem diutiùs ferre non poteſt: quapropter breui admodum terminantur morbi in quibus eiuſmodi ſymptoma experitur. §. 73 *Anxietas ſiue inquietatio.*

Inquietatio ſeu anxietas vnum eſt ex ſignis futuram criſim indicantibus, ſalutarem quidem, ſi cum ſignis bonis fiat, mortalem verò, ſi cum peſſimis, ad melius aut ad peius, ſi cum ſignis mediæ ſignificationis appareat. In interpollatis febribus ſi inquietudo accidat, vitium confluentium humorum in ventriculum oſtendit. In continuis verò ſi accidat, reliquas cauſas quas diximus conſiderato. §. 74

Tuſsis Galeno authore lib. 1. de cauſ. ſympto. motus eſt inter naturæ opera iure optimo conſtituendus, annumeratur tamen ſymptomatis præter naturam ob cauſas cogentes naturam ad eiuſmodi motũ: id quod clariùs Galen. 2. prog. text. 3. ſic dixit: Quin etiam natura ipſa per ſe infert tuſsim, vt infarctum pulmonem expurget, quanquam ipſi tuſsire nequaquam cogitemus, ita vt difficile ſit ſæpenumerò obſiſtere inhibereque accidens. Quapropter ſi febribus ſuperuenire contigerit, animaduertentem reddet Medicum, & nihil planè eorũ quæ ægro conducere poſſunt omittentem: num pars humoris febrem facientis membra reſpirationis à quo inflammentur occupet: num iecoris aliqua inflammatio (cuius ſolet eſſe ſignũ tuſsis) febribus ſuperueniat: præcipuè ſi in dextra hipochondrij parte grauitas, aut dolor ipſum hipochondrium retrahens ſimul cum tuſsi hominem infeſtent: id quod ex Galeno lib. 5. de locis patientibus cap. 6. & 7. mani- §. 75. *Tuſsis.*

nifestè patere arbitror. At solèt nonnunquàm tussis quædam inanis, & sicca accessiones febrium intermittentium anteire, qua audita soleo ego instantem rigorem, horrorem aut frigus denuntiare, idque non abs re, cum calor ad interiora refugiens, & viscera occupans capitis distillationem quandam mouet, tussimque infert.

§.76. *Difficilis respiratio.* Difficultas tamen respirandi ob hanc ipsam rationem febres comitatur, tum etiam quia cum respiratio, & pulsus proportionentur, pulsusque initio accessionum parum dilatentur, multumque comprimantur, ex eo quòd maior eo temporis expurgandi fuligines necessitas sit, quàm ventilandi calorem, sic respiratio initijs febrium maiorem facit cõtractionem, quàm dilatationem: in statu verò contra, in quo aucto vsu ventilandi calorem, augetur diastoles pulsus, & dilatatio thoracis.

§.77 Et quamuis perpetuum sit, vt in omnibus putridis febribus maior expurgandi fuligines necessitas sit, quàm ventilandi calorem, nihilominus dum iam ad statũ peruenit febris cocta materia, multùm maximeq; vrget caloris febrilis vẽtilatio (quæ dilatatione pulsus & thoracis fit) quã expurgãdi fuligines, quod eorundem instrumentorum contractione perficitur.

§.78 *Difficultas trãsglutiẽdi.* Quòd si caloris febrilis ratione guttur œsophagique partes fluxione humoris infestentur, simul cũ respirationis difficultate, trãsglutiendi difficultas oboritur, musculis ipsis huic vsui deseruientibus fluxione affectis.

§.79. *Syncopes.* Syncopes (quam præcipitem virium omnium lapsum, non solùm Galen. sed antè ipsum omnes antiqui Medici diffinierunt) omnem corporis substantiam, tum spirituosam, tum solidam, tum humidum illud primigeniũ & radicale, quo (veluti glutine quodam) partium omnium robur continetur, caloremque ipsum *Gorreus.* natiuum subuertit, & nihil denique horum relinquit integrum, sed omnia dissipat & collabi facit. Quapropter longissimorum morborum (in quibus iam totũ corpus frequenti atrophia laborans extenuatum est) symptoma fit.

§.80 Differt syncopes à lypothymia seu animi deliquio, magnitudine, aut paruitate causarum, non enim per lypothymias tanta est animi exolutio, quãta per syncopas in quibus) vt diximus) nulla omnino vis quæ vel spiritibus, vel in solidis partibus posita sit, integra manet: cũ per lypothymias etiãsi aliqua ex parte exoluãtur spiritus, solidorum tamen corporum substantia (quæ multo minus quã spirituosa iniurijs est opportuna) nõn digeritur, sed incolumis persistit.

Differunt item, quòd in syncopis perpetuus sudor est, isque frigidus, in lypothymijs verò nullus sudor adest: cuius hæc erit ratio. Cũ enim in syncope vires *Donatus.* magnoperè oblæsæ sint, confugiatque calor innatus ad cor, tãquàm ad propriã arcem, & domicilium, partes externas derelinquens, illud humidũ quod in partibus solidis continetur, neutiquã retinere valet, quinimò destitutum ab innato calido, facultateque retentrice nequaquam eum retinere potente, ad externas partes cutis confluit, & sudor proptereà gignitur, non solùm ex excrementitia etiam substantia, sed ex propria solidarum partiũ: quo fit, vt glutinosi sint eiusmodi sudores & viscidi.

Frigidi verò fiunt, quia innatum calidum, vel omnino extinguitur, vel proximum est, vt extinguatur. Quapropter vbi febres malignæ sunt, cordis substantiam inuadentes, & totum corpus colliquantes, eiusmodi animi exolutiones experiri licet.

Fiunt tanimi defectiones aliquãdo ob vitiosos corruptosque, & pessima qualitate

litate præditos humores in os ventriculi (quod exquisitissimo sensu gaudet) confluentes, siue id fiat initio accessionum febrium particularium, siue in continuarum decursu, siue cum iam prope mortem laborantes constituti sunt: idque ob nimiam virium exolutionem.

Sed illud in quo omnes ferè medici aberrant, hoc loco animaduertendũ existimo. Quippe dum ægrotos animo linqui vident, statim ad frictiones crurũ & tibiarum confugiunt, non animaduertentes quod vbi syncopes ob dissipationem spirituum, & ob nimias & effatu dignas euacuationes oboritur, diuertere sanguinem & spiritus (si qui restare potuerunt) ad partes cordis longinquas, ipsumque calore & spiritu priuare, est maximum inconueniens: auget enim eiusmodi frictio syncopem, & ægrum in mortis periculo constituit. Satius ergo erit eo tempore cutim oleis astringentibus comprimere, & spiritus vini potu recuperare, quàm frictionibus calorem & spiritum dissipare. Id quod Alexander Tralianus etiam animaduertit in ea syncope quæ ex cruditate humorum prouenit, si immodica frictio sit. §. 81.

Syncopem ex multis causis prouenire Tralianus affirmat lib. 12. de febribus putridis agens, & Galenus de arte curatiua ad Glauconem capite de curatione febrium cum accidẽtibus, & 12. metho. Quapropter ex his locis animaduersiones plures petendæ sunt, inter quas illa mihi maximè arrisit, per quam Galenus præcipit in syncopali humorosa à purgatione abstinere, ea ratione motus, quòd videat humores quietos syncopim facere, quanto magis si virtute pharmaci moueantur, ob idque frictionibus hanc febrem curat, vacuantia auxilia timens. Licet Tralianus purgare non veretur eiusmodi syncope prehensos. Ego verò dũ occasio se offert, & febris syncopalis humorosa occurrit, frictiones primùm exerceo, (moderatas quidem, vt Tralianus præcipit) & posteà clysteribus vtor, deinde declinationem, tam particularem, quàm vniuersalem, & quietem syncopis expecto, & tunc medicamentum purgans exhibeo. Præcipio tamen ne purgationis tempore à lecto surgant ægrotantes, ne iterum syncope prehendantur. §. 82.

Cibi fastidium symptoma est, quod primo ferè occursu in febribus repræsentatur. Hoc fit cum ventriculus quouis humore perfunditur, & veluti saturatur. Nam quemadmodum sanitatis tempore ciborum fastidium contingit, ex eo quod corpus multo, (eoque vtili) luxuriat alimento, quo ventriculus perfusus & satur, alium cibum respuit, ita per statum morbosum, cum corpus multo (eoque prauo) abundat humore, cuius magna pars in ventriculum confluit, cibos auersari atque respuere contingit. §. 83. *Cibi fastidium.*

Qua in re illud considerent rei practicæ curiosi, vt si quandò cum deiecta appetentia, gustus nihilominus remaneat integer, rectè de saporibus diiudicans, illud quidem initio febrium, primis duobus aut tribus diebus contingere posse: nam si diutius perseuerauerit malum, fieri non potest quin linguæ tunica etiam humore prauo proluatur, & per consequens gustus deprauetur. §. 84.

At appetitus ciborum immoderatus rarò accidit in febribus: quòd si aliquando fiat, idquidẽ in prolixis febribus duplici ex causa fit. Aut enim ex nimia inanitione & alimenti penuria, ob inediam & vacuationes facta, ventriculi superior pars (quæ exquisitissimi est sensus) alimentum efflagitat: aut quia ventriculus humore frigido & acido impingitur, qui sua astrictione alimenta in fundum impellens, famem excitat: eaque ratione sæpenumerò dictum est à Galeno, ventriculum §. 85. *Appetitus ciborum immoderatus.*

triculum frigidum magis appetere quàm concoquere, calidum è contra magis concoquere quàm appetere.

§.86 *Cōuulsio & singultus.* Conuulsionis & singultus eadem est ratio Hippocrate authore. 6. apho. 39. ambo enim ex inanitione aut repletione fiunt. Ex inanitione quidem, neruosis partibus ad siccitatem immodicam deuenientibus. Ex repletione autem eisdem multum humectatis. Exemplo sunt lyrarū chordæ, quæ æstiuo tēpore vehementiùs exiccatæ rumpuntur: hyemis verò tempore nimis humectatæ id etiam malum patiuntur.

§.87. At id quod Galenus dicit. 4. aphor. 57. præterire non debet medicus practicus, quòd si quando valetudine secunda quempiam repentè conuelli, aut singultire accidat, talem à plenitudine proficisci conuulsionem aut singultum est necesse, neruis nimirum à viscido frigidoque humore infarctis. Quapropter febris superueniens frigidos illos ac lentos humores calfacere & attenuare solet. Verùm si propter ardentissimas febres totum corpus & nerui ipsi exiccati fuerint, & propterea conuellantur, tunc maximum ac prope modum immedicabile malum existit, siquidem & multum temporis ad siccitatis emendationem postulant nerui, & inducias non admittit morbi vehementia, sed vires statim deijcit & citam mortem affert. Ex quibus manifeste patet, conuulsiones & singultus febribus superuenientes (vt in plurimum) propter siccitatem fieri, quæ verò ab initio inuadunt, habent ex repletione ortum. Dixi signanter (vt in plurimum) quia solet nonnumquam conuulsio ex repletione febribus superuenire, innoxia tamen, facta nimirum metastosi, & transpositione humoris cerebrum occupātis in faciem, brachia & manus. Hanc accidisse Pitioni die septimo docet Hippocrates. 3. epi. sectione prima text. primo, & primo epidemion in statu cœli plus iustò frigido & humido plures cōuulsiones febribus successisse narrat, innoxias & nihil mali portendentes. Itaque febres (vt ad rem redeamus) ignis instar, neruos exiccant, tendunt ac conuellunt, & periculosas inferunt conuulsiones. Id quod etiā ob immoderatas vigilias euenire solet Hippocrate authore. 7. apho. 18. maximam enim vacuandi & siccandi vim habet vigilia, & propterea à siccitate conuulsionem affert.

Singultum in pueris fieri ob nimiam copiam & corruptionem cibi & potus (siue febricitent, siue non) & ob nimiam oris ventriculi perfrigerationem sæpenumerò in praxi experti sumus.

§.88. Solet etiam singultus feruentissimis & magnis iecoris inflammationibus superuenire, & tunc graue malum significat: nam quorundam neruorum ratione qui sunt perexigui & perminuti ventriculi os in consensum trahitur, & singultus fit, quo natura calidam bilem & copiosam in ventriculum confluentem expellere tentat. Hoc accidisse narrat Iacobus Esteue. 2. epi. sect. 2. Coi sorori, cui iecur elatum fuit, lienico more.

§.89. *Timores in somno.* Timores aut pauores accidere solent in somno febrientibus authore Galeno. 4. apho. 67. ex eo enim quòd humor quidam noxius in cerebrum ascendit per somnum, pauet timetque infirmus, natura enim intro magis mouetur, quā extrà per somnum, & propterea sanitatis tempore à cibo in somnum propensi sumus, quia caput vaporibus ciborum repletur. Id quod in plethoricis affectibus etiam contingit, dum caput cerebrumque grauantur & obruuntur, plurimis vitiosis ascendentibus vaporibus. Nam si plenitudo magis ad atræ bilis naturā accedat, pauores inuadunt. Est enim melancholicus humor talis naturæ, vt ex

eo

eo ſublati vapores atri,pauores terroresque inducat,adeò vt metus ac mœſtitia melancholicum hominem eſſe denuntient: at verò ſi alterius conditionis ſit plenitudo,tunc vapores eleuati,vel deliria,vel conuulſiones generabunt.Neque ſolũ in cerebro ipſo aceruati vapores praui,aut humores talia inuehunt ſymptomata,ſed in ipſo etiã ore ventriculi cumulati timores in ſomno inducunt, cum per ſomnum maior fit à ventriculo in caput euaporatio,quàm per vigilias.

Extremorum frigiditas duplicem ob cauſam febricitantibus ſuperuenire ſolet:aut enim tanta eſt imbecillitas & caloris naturalis extinctio,vt extrema corporis membra frigeant,non potente natura ob virium languorem calorem in ipſa eiaculari,vt in extremo conſtitutis ſæpiùs euenire cernimus:aut tantus, tã ingensq; eſt cordis & interiorum membrorum calor & incendium,vt ſicut flãma maior minorem ad ſe rapit,ita interna membra calidiſsima externorum calorem minimum ad ſe attrahũt. Id quod tam febribus lipirijs(in quibus interna calent,externaque frigent)accidit,quàm malignis & venenoſa qualitate prædi tis febribus.In ijs enim vniuerſus calor externorum membrorum ad cor (tanquam illi ſuppetias ferens)refugit,& cõtra malignos ac venenoſos vapores cor ipſum inuadentes,pugnat.Oboritur etiã extremorum frigiditas, vbi membrũ aliquod princeps inflammatione vrgetur:eo enim tempore inflammatio(veluti cucurbitula)totius corporis calorem ad ſe rapere & extrema corporis membra calore priuare ſolet. §.90. *Extremorũ frigiditas.*

Aliquando tamen frigiditas totum corporis habitum apprehendit ſine periculo,vt ex Galeno conſtat.3.de diff.reſp.cap.10.vbi multas eſſe affectiones oſtendit,in quibus præ multitudine frigidæ materiæ calor innatus grauatur, & ad exteriores corporis partes pullulare non potens,frigiditatem minimè pernicioſam parit,vt in ſtrangulatione vteri videre licet,& in omnibus ſpiritus interceptionibus, quæ mulieribus quidẽ,& præcipuè viduis accidunt,raro verò & aliquando viris,in quibus calor naturalis adeò vegetior eſt, vt raro in ipſis frigidi humores generentur,qui valeant(ſicut in fœminis)calorem ſuffocare. §.91.

Vertigo ſi aliquando febribus ſuperuenire videatur,per conſenſum quidem quem caput cum toto corpore habet per arterias & venas fit,& non primaria affectione ipſo capite laborante, vt mox dicemus.Hoc ſymptomate omnia in circulum agi videntur,adeò vt niſi laborantes vel claudant oculos,vel propinquis partibus approximentur,periculum ſit repentini caſus in terram(ebriorum more,quorum pes neque mens ſatis ſuum officium facit)id quod magis per tenebricoſam vertiginem euenire ſolet; ſymptomate ipſo adhuc magis ingraueſcente. §.92. *Vertigo, & Scotomias.*

Fit hoc ſymptoma imaginatiua cerebri deprauatè læſa, manente ratiocinatrice ſine læſione.Nam licet putent ægrotantes omnia quæ vident circumagi, & caput ipſis circummoueri, nihilominus ſciunt cognoſcuntque falſam eſſe viſionem & imaginationem(quod eſt munus ratiocinatricis partis.) Vertiginis eſſentiam omnes in circulari motione ſpirituum vaporoſorum ſitam eſſe dicunt: at verò cauſam ob quam eiuſmodi vaporoſi ſpiritus in gyrum voluantur,pauci ad vnguem ſunt aſſequti.Quæ res quia multum cõducere videtur ad præciſam huius ſymptomatis ſedationem,ideò nos exactam motus circularis in vaporoſo ſpiritu cauſam reddere conabimur, vt perſpecta cauſa, recta inſtituatur ſymptomatis ſedatio.

Atque illud in primis admonere decreui,quòd ſicut in maiori mundo contingit, §.93.

git,vt res in gyrum circulumque moueatur,ita & eodem modo in minori mundo(qui homo est)accidit:quod vt rectè intelligatur,duplicem esse vertiginem putabis. Prima ea est,quæ ab externo fit,homine sano existente, vt cùm aliquis attentiùs inspicere procurat rotas velociter in gyrum motas,aut si idemmet homo rotetur,vt in choreis fit,aut si stans pede in vno vehemẽtiùs circumagatur, eo enim tẽpore in spiritibus visiuis forma quædam circularis imprimitur, quæ phãtasię seu imaginationi repræsentata,facit vt id quod falsum est in rebus,pro vero imaginetur in mente. Qui modus vertiginis nihil mali portendit, nisi ex leui occasione in eiusmodi malum incurrat:nam tunc morboso affectu laborare significatur.

§.94 Ratio huius euentus in phantasia talis est. Res quæ videntur,proportionem quandam habere debent cum visu:quæ proportio nihil aliud est,nisi debitus quidam situs obiecti ad sensum,cum his,vel talibus lineis,vt rectè obiectum correspondeat sensui,& sensus obiecto: quo fit,vt mutato obiecto,aut sensu, mutetur etiam hæc proportio: clauso enim vno oculo,& confestim aperto mutari videtur obiectum,quia mutatur proportio. Nam phantasiæ seu imaginationi(vt iudicet de motibus)nihil refert si moueatur obiectum,aut si moueatur instrumentum quo perficitur actio,vt Aristot.placet.2.de cœlo, & commentatori.3.de anima:nam iudicium de rebus externis quæ videntur,non aliter fit,nisi proportione quadam partium,quæ videntur,cum partibus spirituum quibus cum videmus,& sic mutata parte,& inuicem succedente alia atque alia in motu circulari, mutatur etiam spiritus penes illam partem quæ illi correspondet. Spiritus verò sic moti phantasiæ repræsentantur,penes illam partem, quæ illimet phantasiæ correspondet,& sic in circulum gyrumuè moueri videntur,vel imaginantur,spiritus intra,vt mouetur rota extra. Et ob hanc causam maxima cum ratione Medici præcipiunt,vt parati incurrere in vertiginem eiusmodi res in gyrũ versas attentiùs non intueantur,ne facilè in id symptoma incurrant. Eadem ratio est cum quis seipsum circulariter mouet:nam eo tempore ratione illius agitationis circularis totius corporis,spiritus etiam circulariter mouentur,qui suam partem circuli imaginationi repræsentantes,iudicat sensus communis illũ motum circularem in rebus externis esse. Id quod eo modo contingit,quo in aqua in vase existente accidit:aqua enim si in gyrum moueatur,postea quiescente vase,per aliquod tempus aqua in circulum moueri conspicitur: ita & eodẽ moto vase nostri corporis in gyrũ per aliquod tẽpus moto(homine existẽte sano) spiritus in gyrum mouentur,vtpote qui agiles & facilè mobiles ob impressam in eis formam circularem,mouentur circulariter,vt in aqua videmus fieri. Hæc ergo est ratio vertiginis ab externo ortæ,in optimè sanis,sat physica,& ab scribentibus nec prætermissa nec ignorata.

§.95 At in morbosa dispositione duplici ratione ab interna causa vertigo fit: prima quidem etsi ingeniosa est & physica,secunda verior & sensualis magis videbitur. Aristoteles ergo.2. meteororum.12.par.problematum,& commentatores ibi volentes reddere rationem motus vertiginosi multarum impressionũ quæ in aere generantur,dicunt eiusmodi motus circularis calidam exhalationem esse causam:aqueæ enim impressiones numquàm in gyrum mouentur,sed recta via in hæc inferiora descendunt,vt pluuia,nix,grando,& similia, quæ si aliquando in gyrum descendere videntur,non ratione sui, sed ventorum ratione accidit. Calida ergo exhalatio motus circularis est causa,cum ad mediam aëris

regionem

regionem peruenerit, ibi enim infrigidata & densitatem quandam acquirente grauitas illi accidit, qua deorsum moueri cogitur, nequeunte verò talem motum assequi ex eo quòd exhalationis calidæ naturam nondum deposuit, ad mediam quandam dispositionem inter grauitatem & leuitatem deuenit, & ea ratione, nec sursum, nec deorsum moueri potest. Cùm ergo quiescere non possit, ob suam naturalem leuitatem, impeditam tamen ab accidentali grauitate quominus sursum eleuetur, ad latus & transuersaliter & in gyrum mouetur, authore Aristotele locis citatis. Sic ergo vertigo ab interna causa in corpore excitatur. Vapores enim calidi & flatus calidissimi sursum petentes (siue hi eleuentur à iecore, siue à venis, siue ab vtero, siue à quouis alio inferiori membro) à cerebri frigiditate condensantur, & grauitatem quandam acquirentes deorsum vergere non possunt, quia nondum totam caliditatem deposuerunt, & sic motionem ad latera & in gyrum faciunt, & vertigo sequitur.

Eiusmodi autem vapores seu flatus calidos esse satis monstrat Galenus 3. de locis affectis capit. 8. quo loco naturam eiusmodi vaporis explicans, inquit, Vertiginem fieri elato vaporoso calidoque spiritu: qua ratione nonnulli ab arteriarum sectione (totas arterias quæ pone aures sunt, secantes) auxilium petierunt: quod nō fieret, nisi vapor ille calidus extitisset. Id quod Hippocrates libro de affectionibus folio. 193. expressis verbis confirmat, in hunc modum de vertigine loquens. Si verò aliàs atque aliàs dolor & vertigo in caput inciderit, prodest, si sanguis à naribus fuerit extractus, aut à venis in fronte: si verò diuturnus & fortis in capite fuerit morbus, & purgato capite non decedat, huius caput aut scarificare, aut venas in circuitu inurere oportet, ex his enim solùm sanum fore spes est. Austrinas porro constitutiones ea ratione qua calidos vapores in cerebrum eleuant & mouent, vertiginis esse causam Hippocrates scribit. 3. aphorismor. §.96.

Sed quod cerebri conditio valeat vaporosos spiritus condensare, hisce rationibus notissimum erit. Licet enim cerebrum sua ipsius ratione & per se consideratum, quocunque aëre calidissimo sit calidius, Galeno authore. 8. de vsu partium capit. 2. & 3. nihilominus aliorum membrorum respectu frigidæ & humidæ temperaturæ esse docuit prædicto loco ad varios minimeque contemnendos vsus. Primò enim ad refrigerandum, seu ad attemperandum spiritum vitalem (ex quo animalis generatur) oportuit esse frigidum & humidum, ne ipsius ebullitio in cerebro, temerarios motus & sensus induceret. Accedit etiam, quòd spiritus sursum ascendens (si ita calidus perseuerasset) & non esset à quo temperaretur, inquietum insomnemque faceret hominem. Nam non alia ratione à vaporibus ab alimento sublatis (quando non rectè elaborantur) fiunt in inferiores partes fluxiones & catarrhi, nisi quia vapores illi à frigiditate cerebri concrescunt, & posteà in inferiores partes descendunt. Quòd si hoc in naturali dispositione contingit, multo magis cum cerebrum præter naturam suam refrigeratum est & humectatum. Quapropter non immeritò dicimus spiritus illos vaporosos calidosque, cùm inferiùs descendere non possint, nec superiùs ascendere, quia à grauitate quadam impediuntur, motiones in gyrum exercere debere, & vertiginosum symptoma facere. §.97

Ex quibus illud (quod multis futurũ est difficile) elicitur, nempe, vertiginẽ
§.98 omnem semper fieri debere per consensum subiectarum partium, & nunquã
Hæc opinio non probatur ab authore. per propriam cerebri, aut membranarum eius affectionem. Nam cùm oporteat, spiritus illos vaporosos, vt recta via sursum ascendant, calidos esse debere, & demum à cerebri substantia cogi & densari, vt aliquantula grauitas illis accedat, cuius ratione circulariter moueantur, si cerebri substantia plus iusto calidior sit, & proinde spiritum calidum & vaporosum generet, inquiro modo, à qua parte capitis frigida eiusmodi spiritus calidus cõdensabitur & cogetur, vt circulariter moueatur? Nõ à cerebro, quia plus iustò calidius factũ est: nec à meningibus, quæ calidissimo eoque plurimo refertæ sunt sanguine in venis atque arterijs contento: ergo cum nullum spiritui vaporoso sit impedimentum, recta via præcedet, & insensibiliter per cranium perque suturas, & cutim transpirabit, & cerebro primariò affecto, vertigo non generabitur.

§.99 Præterea neque si vasa tunicarum cerebri etiam calidiora reddantur, vt spiritum vaporosum & calidum generent, vertiginis erunt causa. Cùm enim cerebri substantia prædictis tunicis cooperiatur, spiritus vaporosus qui in ipsis generabitur, non deorsum descendet (cum calidus sit) vt à cerebri substantia cogatur & densetur, quin potius recta via transpirabit, nisi in cranio, pericranio, aut carne obstructus detineatur, & alium morbum à vertigine faciat.

§.100 Vt ergo hoc inconueniens fugiamus, veriorem putauerim opinionem quæ tenet vertiginem fieri, tam per consensum, quàm per essentiam: facilior enim est & nullam difficultatem affert. Nam illa prior opinio nihil aliud probare videtur, quàm quod spiritus illi vaporosi calidi debent esse, ad hoc, vt ab infernis partibus sursum euolent in cerebrum. Cæterum quid vetat, quominus in cerebro generentur eius conditionis, ab ipsoque concrescant & dẽsentur: nam cerebro ipso parum incalescente, id ipsum accidere potest. Itaque vbi contigerit è subiectis partibus plus iusto calidioribus eleuari in caput spiritum vaporosum calidum, aut primaria affectione in ipso cerebro generari, tunc aut talis spiritus vaporosus versus neruos se inclinat, ipsosque ferit, & facit eo tempore stuporem quendam leuem & facilè solubilem, aut tunicas interiores vel exteriores capitis occupat, & tunc dolorem facit acutum, & distendentem aliquantulum, aut in meatibus ventriculisve cerebri se insinuat, (in quibus generatur) & tunc facit vertiginem: nam locus affectus in hac affectione, ventriculi & meatus cerebri sunt. Ibi ergo prædicti spiritus vaporosi immorantes, & recta via exitum non inuenientes, quia multa illis sunt obstacula & impedimenta (nempe cerebri substantia, meninges, cranium, pericranium, caro, & demum cutis vtraque) ob flatum in ipsis spiritibus existentem, quiescere minimè possunt, sed intra ventriculos cerebri volutantes vertiginosam affectionem generant, commotis simul cum illis spiritibus animalibus in ventriculis cerebri sedem habentibus. Neque mirum videri debet, si vaporosus ille spiritus à prædictis partibus impediatur, quominus rectà transpiret, quando spiritus animales, qui tenuiores multo sunt spiritibus vaporosis, in ventriculis cerebri detineantur, quominus rectà euolent. Animales enim spiritus si crassi & flatibus immixti essent, proculdubiò semper vertiginosam facerent affectionẽ, cùm semper in ventriculis detineantur. At verò quia alienam sortiuntur naturam spiri-

ab spiritibus vaporosis, ideò munus suum eercent tantũmodo, & se solis vertiginem non generant, nisi (vt diximus) corpus in gyrum vertatur, aut attentiùs rotas circumagi, & fluuios impetu fluere intueamur: tunc enim se solis vertiginẽ faciũt. At si vaporosus aliquis spiritus simul cum illis misceatur, ab illo commouentur & circumagitantur, & tunc vertigo ab interna causa, & primario affectu oboritur.

Sed quæret statim aliquis, si spiritus vaporosus isque calidus vertiginis causa est, cur Hippocrates. 3. aphorismor. hunc morbum inter seniles & hyemales connumerat? quem sequitur Paulus capite de vertigine: Cui responsum velim, rarò accidere, vt frigida materia sursum ascendat, & inquieta sit: quod si aliquãdo accidat, id quidem flatus admisti ratione, & ex propria hyemis natura contingit: eo enim tempore plurima generatur in corpore humiditas excrementitia, flatu quidẽ plena, à qua vapor plurimus in cerebrũ eleuatur, in ijs maximè qui ob caloris imbecillitatem eius copiam (siue in toto, siue in capite) aceruant, vt sunt senes, vinosi, vẽtri & gulæ dediti, & in ocio degentes, qui omnes ob multas & crebras cruditates in eam vertiginem incidunt, de qua Galen. 3. aphoris. dixit: Vertigo apoplexiæ comes est, amboque affectus fieri, vbi caput pituita repletur.

Sed iam causam ob quam oculi obtenebrescant in affectione hac, dicamus, §. 101 Spiritus quidem lucidus & purus, qui per neruos recta via tendere solebat ad oculos, circulariter transuersimque motus, simul cum vaporoso spiritu in cerebri ventriculis, oculos ipsos deserit, & visione priuat, introrsum quidem vniuersus manens: quo fit, vt non solùm vertigo, sed tenebricosa simul oboriatur. Humi verò cadunt ex eo quòd omnia sibi dimoueri videntur, & ebriorum more non habent vbi pedes firment: idque accidit, vbi grauiùs quàm ratio postulat, afficiuntur.

Quia verò epileptici & vertiginosi vtrique quidẽ humi cadũt, vt distinguere §. 102 scias vertiginem ab epilepsia, aduertas motus conuulsiuos superuenientes: nam si adfuerint, epilepsiam esse iudicabis, sin minus, tenebricosam vertiginem, eamque à magna causa procedentem: in vertigine enim cũ pars affecta (vt diximus) fit cauitas ventriculorum cerebri, ideò neruos deserit eius causa, & motus conuulsiui deficiunt, qui in epilepsia apparent.

Huius affectionis curatio vbi per consensum fit, hoc modo peragenda est in §. 103 ipsa accesionis apprehensione: totis enim viribus facere debet Medicus vt vapores in cerebro existentes resoluat, & grauitatem densitatemve à cerebri frigiditate contractam omni remediorum genere auferat: id quod facillimè perficiet vno, & eodem remedio, etenim calefacto cerebro; frigiditas illius attemperabitur, & vapores ad naturalem raritatem reducentur, amissa namq; grauitate densitateve, circulariter moueri desinent. Præcedere tamen debet communium materierum per clysteres vacuatio, ne vi medicamentorum calidorum aliquid in cerebrum eleuetur, & trahatur, cuius ratione malum augeatur.

Hanc medendi rationem nos docuit Hippocrates libro de affectionibus ci- §. 104 tato dicens: Huius caput calefacere conducit, ita vt multa calida labemus, &c. hac enim via & meatus seu pori aperiũtur, & vapores per insensilem halitũ digerũtur, diuersionẽ & euacuationẽ vno & eodẽ remedio faciẽtes. Quo peracto, interiùs & exteriùs resoluentibus vti possumus, vt si quæ supersunt reliquiæ,

absumantur. Indicatione præterea sumpta ab ipso cerebro, quod frigidum esse diximus, ob quod copiam crudorum humorum generat, à quibus frigida intemperies fouetur,& intenditur)purgare oportet ipsum à pituita per propria emunctoria, dummodo non cognouerimus eundem humorem in toto corpore abundare:nam tum temporis priùs totũ corpus euacuandum est.

§.105. Curatio verò ante accessionis apprehensionem hoc modo exercenda est: Primo enim indicatione sumpta à membro calidos vapores generante, intemperies calida illius membri auferenda est, qua semota vapores calidos non generabit: cuius ratione aliquando expedit sanguinem mittere, vbi nimirum hepar,cor,lien,aut totum genus venosum,vel vterus distemperata versus caliditatem fuerint. Quòd si intemperies calida sit in vasis cerebri,quæ vapores spiritusque calidos generet,tunc expedit ex venis narium sanguinẽ mittere, aut venam frontis aperire,Hippocrate authore loco citato de affectionibus dicente: Prodest etiam si sanguis è naribus fuerit extractus, aut vena in fronte fuerit inscissa:quo casu prodest etiam sectio arteriarum quæ retro aures sunt.Cuius Galenus fecit mentionem. 3. de locis affect. cap.8.quo loco subiungit,quod licet aliqui ex hoc auxilio fuerint curati,non tamen omnes:id quod non alia ratione dixit,nisi quia eiusmodi arteriarum sectio conuenit,vbi intemperies calida vasa cerebri occupat, quæ si ab aliquo humore calido foueatur, is primo loco vacuandus est,præmissa commoda humorum præparatione.Et tandem medicamentis interius exteriusque adhibitis reducere oportet membrum ad pristinum statum. Quòd si rebellis fuerit diuturnaque affectio,tunc caput scarificare,& venas in circuitu inurere iubet Hippocrates lib. de affectionibus.Quæ curatio quia molesta est(vt nos aduertimus libro de locis Hominis) ideò sinapismis & cutem rubificantibus vti possumus,vt non modò cerebrum calesiat, sed materia etiam per insensilem halitum digeratur.Quòd si hæc medicamenta minimè conducere videatur. Vesicatorijs vtemur,& tandem causticis curationem omnem absoluemus:eiusmodi enim remedijs cerebrum calesit, & roboratur, & materia per apertum locum commodissimè fluit, nec non vaporosi spiritus resoluuntur.

§.106. *Oris fœtor* Vtrùm omnis fœtor & graueolentia putredinis signum sit,non curo modò disputare.Nam multa sunt fœtentia quæ non putrent, vt Assafœtida & multa genera gummi, & alia quidem putrida sunt, & tamen non fœtent, vt sanguis putridus ex venis extractus, & alia quæ licet putrida sint, benè tamen olent, vt Moschum & Ambarum,seu Ambra.Modo autem dicamus oris fœtorem in febribus duplicem habere causam. Aut enim tanta est humorum febrem facientium putredo,quæ valet spiritum perinspirationem attractum inficere,à quo putridus vapor expirans molestus fit. Aut tanta est caloris febrilis, aut humoris in os confluentis actiuitas,quæ valet partes oris corrodere & putrefacere, à quibus prauus odor excitatus proximè astantibus grauis fit.

Solet hoc symptoma Chirurgos reddere solicitos,præcipuè si gargareo, & circumuicinæ partes putridis vlceribus scateant, sunt enim eiusmodi partes humidissimæ, & putrefactionibus opportunæ.Sed quæ sit ratio propter quam patientes fœtorem oris,prauum odorẽ non sentiant,proximè verò astantes eum ipsum experiantur, non est dictu facilè.Ego verò dicerem multa esse exempla,quæ docent,ab assuetis non fieri passionem. Puella enim illa Napelo nutrita

nutrita consuetudine venenum superauit, adeò vt illi fuerit nutrimētum, quod alijs foret venenum. Multi præterea odoris praui piscinas versantes, prauum illum odorem non sentiunt, tum ex consuetudine, tum etiam quia sensibile positum supra sensum, corrumpit sensationem. Oportet ergo vaporem à re odorata eleuatum per interualla sensum ipsum ferire, vt sensatio sequatur: eaque ratione qui proximè astant (tanquam insueti) odorem, siue bonum, siue malū sentiunt, quia instrumentum odoratus per interualla habent feriatum & liberum, ægrotantes verò illum omnino non experiuntur, quia perpetuò ipsum instrumentum odore plenum habent.

Vt contingit in febribus aluum, & vesicam plura quàm oporteat excrementa excernere, ita & ipsa retineri contrarijs de causis accidit. Nam ventriculi co- §.107 *Retentio stercoris & vrinæ.* ctiones per febres non alia ratione deteriores fiunt, quàm quod calor præter naturam actiones omnes labefactat, Galen. teste. 2. de fac. natu. c. 8. qui tā immodicus solet esse, vt fæces, serosam omnem humiditatem, & primigeniam exhauriat, & intestina arefaciat.

Solet vrina in febribus retineri maxima cum vtilitate, & tunc instantis signū est crisis, iuxta illud. 6. epi. sect. 1. text. 10. Ante rigorē vrinarum suppressiones: in cuius expositione Gal. instantis crisis bonæ (si salubria signa simul adfuerint) signum esse docet, dum modo aluus multa non excernat, nam ipsa plura excernente, solet supprimi vrina, & tūc ægrum, nec rigere, nec sudare sperabis. Serosa enim humiditas triplicem viam habet, vt expurgetur, nempe per aluum, per vrinas, & per sudores. Hæc & alia multa sunt febrium symptomata, sed in præsenti quæ memorabilia visa sunt, tantùm explicuimus.

CAPVT III.

Febres diariæ animaduertuntur.



RIA esse genera febrium, tam est manifestum, vt superfluum sit in hoc tēpus conterere: nullus enim ignorat, febrem in diariam, putridam, & hecticam partiri. §.1 Diaria igitur febris (quæ affectio quædam est facilè solubilis, & caloris iucunditate quadam hominem affligens) licet sæpiùs contingere videatur, quia tamen rarò, ob suam breuitatem Medicis se offert curanda, ideò perpaucas aut nullas de ea animaduersiones faciemus. Nosse enim satis est, illam variam esse, & penes diuersas ac multas euidentes causas considerari. Nam & ex lassitudinibus fit, & ex laboribus, ex vigilijs, ex cura, tristitia, ira, & animi passionibus, ex Solis ardore, frigore, ex cutis densitate, ex distillatione, ex fame, ex cruditatibus multis, & ex inguinum inflammatione, & ex alijs multis causis, vt apud Tralianum videre licet.

Solent eiusmodi febres diariæ putridas antecedere: quod vel maximè ex hoc §.2 cognosces, quòd nullum præcessit cibi fastidiū, aut corporis lassitudo, aut frequens oscitatio, sed tota repentè prehendit, & euidentium causarum vi sola infertur febris, quæ si nullam habeat inclinationem aut sudorem, aut diem vnū

excesserit, metuenda est permutatio, vel in synochum vel in putridam.

§. 3. Nonnunquam superuenit febris diaria febribus putridis: id quod nos sæpius animaduertimus, ex assumpto pharmaco, calfactis spiritibus, & ex surgendi frequentia, quæ solet terrere medicos existimantes putridas febres crescere, cum tamen paulò post feruor ille mitigetur. Idem quoque ex alia quauis causa euidenti accidere potest, & præcipuè ex animi paſsionibus.

§.4. Sed hoc in loco animaduertāt studiosi (si aliquando Hippocratem legerint lib. de morbis pagina. 151. de causis febres diarias facientibus sic disserētem: Ex trinsecus autem calescit corpus à laboribus, à calido nimium calefaciente, & à frigido nimium frigefaciente, Calescit item à visu & auditu, &c.) postrema hæc verba animi paſsiones significare iuxta ipsummet Hippoc. lib. de humoribus sic dicentem. Molestiæ animi aut per oculos, aut per auditum: cum enim tristamur aut lætamur, aut irascimur, aut gaudemus, aut deniq; alio modo afficimur propter aliquid quod per visum aut auditum percipiatur, accidit.

§.5. Febres diarias ex laſsitudinibus patientes cutem habent ſicciorem, quā qui ex alia febre diaria laborant, Galen. teste capite proprio de febre diaria ex laſsitudinibus.

§.6. Atq; ea est ratio propter quam Galen. lib. 1. ad Glauc. consulit oleo tepido & multo, & mollibus manibus diutius perfricare cutim, quia in ijs qui laſsitudinem perpeſsi sunt, quædam fit phlegmonosa affectio, in musculis & articulis, & propterea vnctione olei tepidi vsus est, quòd relaxare & humectare natura potest. Quæ sententia difficilis videtur, cum magis consonum rationi sit, febrē diariam ex solis ardore cutem ſicciorem reddere debere, quàm febris ex laſsitudine seu labore. Sed meo iudicio quia Sol dum calefacit, & febrem ephemerā inducit, non tam calefacit & inflammat totum corpus, quàm caput ipsum, cui omnia remedia pro hac febre curanda applicare iubent authores. Et præcipuè idem Aetius & Auicena cap. proprio. ideò ex hac causa cutis totius corporis non induratur, quemadmodum ex laſsitudinibus, seu laboribus, quorum ratione (si immodici sint) humiditas cutis exhauritur, & ea ratione siccatur.

§.7. At nē te decipiat Aetij sententia capite de diaria ex inguinum inflammatione orta dicentis, inguini inflammato ante venæ sectionem adstringentia ac repellentia imponenda sunt: post venæ sectionem verò laxantia & moderate discutientia: animaduertenda est Auicenæ doctrina capite proprio de ephemera ex apostemate, vbi primo loco venæ sectionem facere iubet, secundo loco vētrem mollire: tertio deniq; loco repercusiua & infrigidantia iubet apponere: non quidem in ipsomet loco inflammato, sed supra inguina ipsa, inter cor & locum inflammatione obsessum: existimat enim Auicēna mēbra mandantia humores superuacuos ad inguina, vel esse hepar, aut lien, quorum sunt emunctoria, & ideo supra hæc membra (hæpar nempe & lien) immediatè iubet apponere reppellentia & infrigidantia: facta enim venæ sectione non erit abs re supra hæc membra repercusiua ponere. Nam huiusmodi medicamentis prohibetur ascensus putridi vaporis ad cor, & per consequens febris ephemera non excitabitur, neque ad bubonem fluxio descendet. Nam aliàs si Aetio credendum est, corpore pleno existente, localia apponerentur. Ex quibus sequeretur inflammationis induratio & cruditas, quod maximè vitandum est. Quamuis Galen. 1. secundùm locos. c. de acoribus, localia apponere non veretur ante totius corporis vacuationem.

De febre verò diaria quæ ex stipatione cutis fit, vtilis animaduersio scribetur ferè initio capitis sequentis.

Febris synochus simplex (quæ efferuescentia quædam sanguinis & simplex inflammatio est, nulla putredine molem sanguineam inficiens) ephemera plurium dierum appellatur à Galen. 9. metho. cap. 1. & 2. non quidem, quia constitutionem similem habeant cum diarijs, quarum constitutio diem naturalem nõ excedit, sed quòd eandem cum diarijs naturam habeat, simplicem nempe illam spirituum & sanguinis alterationem. Quapropter easdem atque diaria causas habet, vehementiores tamen, quæ valent spiritus primùm inflammare, deinde sanguinem ipsum sensim (donec ferueat) incendere, Galen. authore. 10. metho. cap. 2. §. 8.

Febris hæc rarò admodum contingit, vtpote quæ corporibus quadratis, & habitu carnosis, & quibus sanguinis exuperantia, & æquabilis succorum redundantia premit, accidere debet: teste Gal. 9. metho. c. 3. quæ acmastica, peracmastica, & homotena est, sicut continens putrida. Huius febris curatio in sola vacuatione consistit: copiosa enim sanguinis effusio (nullis alijs remedijs adhibitis) eiusmodi febrem iugulare solet. §. 9.

Quòd si ob aliquam causam relictum fuerit venæ sectionis auxilium, tunc potus aquæ frigidæ commodissimum erit remedium, seruatis seruandis. §. 10.

Hæc non excedit quartum diem, quin transeat in putridam Gale. authore. 9. metho. c. 4. sed hoc tẽpore iam verè biliosa est, & propterea Arabes omnes post septimum timent exercere venæ sectionem, quia potius videntur laborare cacochymia, quam synocho. §. 11. *Azarabius suo loco.*

De febribus verò continentibus putridis caput seorsum scribere noluimus, ijs rationibus persuasi, quòd earum omnium vnica tantùm animaduersio practica existat, nempe & sanguinem mittere, & potum aquæ frigidæ offerre, Galen. authore: tum etiam, quia sequentibus capitibus (quæ vniuersas febrium putridarum, tam continuarum à sanguine, vel à reliquis succis, quàm intermittentium, animaduersiones complectuntur) satis abundè tractabimus earum obseruationes. §. 12.

CAPVT IIII.

In quo febrium putridarum animaduersiones in genere ponuntur.



OFFERT se hoc loco putrida febris animaduertẽda, quæ quia multiplex est, multiplicem quoque animaduersionem exposcit. Tria sunt enim omnia quæ ex humorum putredine genera febrium accendũtur. Quædam enim ex flaua bile (hæque plurimæ sunt) quædam ex atra, quædam ex pituita, Galen. authore. 2. de crisi. cap. 9 & sæpè alibi: quo in loco tacitis quibusdam obiectionibus respondens in hunc modum scribit. Atque in hoc illud perpetuò seruatur, triplex esse vniuersum febrium simplicium putridarum genus. Quæ enim ex sanguinis putredine §. 1.

fit febris,iam quodammodo biliosa est. Neque admiratione dignum esse (subdit Gal.) si ex frigidis humoribus oriri febrem dixerimus: siquidem non secundùm naturam existentes, sed putrescentes, illud efficiunt.

§. 2. At quia dubitare posset aliquis de febribus, quæ ex aliqua parte affecta accenduntur, quo in genere constitui debeant, Galen. 2. de crisi. cap. 11. in hunc modũ dubitationem soluit. Non difficile (si animum applicueris) eas febres inuenies, quæ ex quorundam locorum passione consistunt. Nam in omnibus inflammatis particulis, humorum impactio, quæ locũ bene difflari prohibet, statim quidem humores putrefacit, simulq; calorem quendam prauum excitat, qualis & in reliquis omnibus putrescentibus oritur. Huius igitur caloris modus, earum alicui quas diximus febrium necessario assimilatur, vel potiùs (si verum dicere velimus) vna ex illis est, quæ vel ad amaram bilem, vel atram, vel ad pituitam attinet. Omnes igitur quæ particula aliqua affecta oriuntur febres, vnum aliquem ex prædictis, vel simplicem, vel compositum habebunt characterem, & Gal. 10. metho. cap. 6. de eiusmodi febribus loquens, sic scripsit: Omnes enim eiusmodi febres in communi putridarum genere comprehensas intelligas.

§. 3. Neque me latet, non defuisse qui eiusmodi febres in genere diariarum constituendas esse arbitrentur, his rationibus persuasi, quòd videamus febres quæ ex partis læsione oriũtur, tam cito, tamque breui tempore tolli, submouerique (quod est proprium ephemeris) vt ad nostrum sensum simul cum ipsis morbis, quibus cum inuadunt, tollantur.

Præterquàm quod videmus curatorias indicationes ab ipsomet morbo partis desumi, & non à febribus: quod non fieret, si eiusmodi febres permanentiam aliquam haberent, vel in humoribus, vel in membris, cuius ratione putridæ, aut hecticæ dici possint. Reliquum ergo est, vt inter diarias constitui debeant.

§. 4. Sed quia Galen. 2. de crisi. cap. vltimo. eiusmodi febres à ratione ephemerarum excludere videtur, febres ephemeras tantummodò esse dicens, spiritus passiones absque humorum putredine, & absque membri inflammatione interna, ideò rectius existimauerim cum Galeno inter putridas eiusmodi febres connumerare, quàm inter ephemeras aut hecticas.

§. 5. Maior tamen anbiguitas oboritur de his febribus quæ ex vulnere partis cuiusdam nobilis oriuntur, quo in genere constitui debeant? habent enim eiusmodi febres (si Thomæ à Veiga Lusitano credendum est) nescio quid peculiare distinctum à reliquis febribus partium inflammatarum: illud autem est, quòd videamus febres, quæ ex pleuritide, pulmonia, phrenitide, & ex hepatis inflammatione oriuntur, non solùm simul cum inflammatione inuadere, sed etiam peculiares seruare circuitus, pro ratione humoris inflammationem facientis. Nam etsi vt in plurimum tertiani circuitus in eiusmodi inflammationibus fiant (est enim inflammatio morbus calidissimus, & propterea vel à sanguine, vel à bile, vt in plurimum oritur) nihilominus reliqui etiam succi inflammationem facere possunt, vt ex Galeno patet illo aphor. Qui acidum eructant, &c.

§. 6. At febres vulnerum partium nobilium, nec statim cum vulnere generantur (nisi forsan morbosus adsit apparatus) nec circuitus habent peculiares humorum, sed tantùm insequũtur motum dierum criticorum. Cuius rei maximum argumentum est, quòd nullo in alio morbo, tam præcisè obseruantur dies critici, quàm in vulneribus partium nobilium.

§. 7. Qua in re illud in primis animaduertendum censeo, Auicennam hanc obseciisse

ciſſe difficultatem, & propterea dixiſſe, diuiſionem illam in diarias, putridas, & hecticas, eſſe ſolùm earum febrium, quæ febres morbi ſunt, quaſi velit, reliquas nullius eſſe generis.

Sed quia impoſsibile eſt, vt calor cordis in totum corpus diſtribuatur, nulla trium ſubſtantiarum vehementer læſa, ideò rectius putauerim, in aliquo trium generum eiuſmodi febres conſtituere, quàm vel nullius eſſe generis aſſeuerare, vel genus diſtinctum à tribus conſtituere.

Nam etſi febres vulnerum partium nobilium ſymptomata ſint vulneri ſuperuenientia, atque in hoc differant à febribus inflammationum internarum, quarum ſunt propria ſymptomata, nihilominus non video, quare eiuſmodi febres vulnerum moueantur ſolum per dies criticos: quaſi reliquæ etiam febres internarum inflammationum non moueantur per dies criticos? experientia enim nos docet, internas inflammationes duplicem motum habere: alterū qui fit pro ratione humoris inflammationem facientis, alterū verò qui fit per dies criticos: abſurdum enim erit dicere in ijs morbis internis qui vitæ diſcrimen afferunt, non obſeruari dies criticos. §.8

Neque etiam video, quare febres vulnerum partium nobilium moueantur tantùmmodò per dies criticos, & non per circuitus humoribus peculiares, cum palam ſit, nūquàm has febres oriri, niſi parte vulnerata inflammatione affecta, vitæq; diſcrimē afferente: Cū enim natura ſuppetias parti vulneratæ afferre conatur inſtrumentis ſuis vſa, (quæ ſunt ſanguis & ſpiritus) inflāmationē intereà concitat, & proinde febrem mouet, quæ quidem an per circuitus putridis febribus peculiares moueatur, an per dies criticos, conſiderandum in præſenti maximè eſt. §.9

Sed in hac re id conſiderent medicinæ practicæ ſtudioſi, naturam præfixos deſtinatoſque habere dies criticos, ad id quod moleſtat, & vitæ diſcrimen afferre poteſt, propulſandum. At quia id quod maximè vrget & celerem mortem affert, non eſt febris ſuperueniens, ſed vulnus nobilis partis, ideò per illos dies criticos natura mouetur, non per humorales circuitus, licet ſit putrida. §.10

Quòd ſi obijcias, quare ſi inflammatio ſuperuenit vulneri, non facit circuitus, ſecundùm naturam humoris facientis inflammationem, vt facit in reliquis inflammationibus partium internarum, reſpondebo ſanè, eiuſmodi partium inflammationes, eſſe per ſe morbos, qui totum negotium faceſſunt, & vitæ diſcrimen afferunt. At inflammationes vulneribus partium nobilium ſuccedentes, non ſunt quæ totum negotium faceſſunt, & vitæ diſcrimen afferūt, quin potius, vt illud vitent, à natura cæca fiunt, & propterea illarum febres non ſeruant peculiares circuitus humorum. §.11 §.12

Neque dicendum eſt, rigores qui ſolent ſequi eiuſmodi febres, comitarique ipſas, fieri per circuitus proprios, quin potiùs inordinato motu mouentur, ex eo quòd humores in partem vulneratam miſsi à natura, vt ſuppetias ferant parti mortem minanti, per partes ſentientes eo tempore deferuntur, rigoreſq; inordinatos faciunt: id quod præcipuè accidit, vbi vulnus caput obſidet, & meninges ea ratione inflammantur: tunc enim rigores febreſque ſigna ſunt peſsimi vulneris & mortem minantis.

Quòd ſi rurſus obijcias, humorū fluxiones in partes dolentes cōcitari, natura etiam ſuppetias afferente, Galeno authore. 13. metho. c. 3. in quibus quæ fiunt §.13

febres

febres circuitus seruant,pro ratione humoris fluentis,vt videre est in tumoribus externis,podagra,arthritide,ophtalmia,quare nõ similiter circuitus febriũ fient in vulneribus partium nobilium,quando fluxio etiam à natura concitatur suppetias ferente?Dicam sanè aliud esse naturam suppetias ferre parti mortem minanti,& aliud suppetias ferre parti minanti morbum, illumque salubrẽ. Quando ergo natura auxiliatur,vt si possibile est ægrum à morte liberet, tunc obseruat solùm dies criticos sibi ad eiusmodi munus exercendum præfixos:secus verò est, quando natura suppetias adfert parti morbum minanti:tũc enim circuitus facit secundùm exigentiam humoris fluentis.Nam quis quæso in podagra,arthritide,& ophtalmia,criticos dies obseruabit?Nullus sanè.Satis ergo existimo esse probatum eiusmodi febres de genere esse putridarum,mouerĩq; naturam per dies criticos,non per humorales circuitus. Vtrùm autẽ perpetuò verum sit,inflammationem sequi ad vulnera capitis,necnetiam diximus capite de phrenitide.

§.14. Restat tamen dicamus,quæ sit ratio propter quam in nullo morbo tam præcisè obseruentur dies critici,quàm in vulneribus:id quod duplici ratione fieri dices:altera ex parte nostra,altera ex parte naturæ.Ex parte quidẽ nostra, quia exactissimè cognoscit Medicus initium vulneris incussi,vt obseruet animaduertatque dies criticos sibi præfixos: id quod in nullo alio morbo tam præcisè, & exactè cognoscit.Ex parte verò naturæ,quia suppetias ferens vulneri, tãquã afferenti vitæ discrimen,obseruat illos dies criticos sibi destinatos ad propulsandum id quod molestat,& mortẽ afferre potest. Qui verò voluerit eiusmodi febres appellare putridas ex parte putrescente,vt Fernelio visum est, non peccabit.Satis tamen est in re difficili ansam speculandi præbere. Sed missa hæc faciamus.

§.15. Febres putridas à principio dignoscere, & à reliquis generibus distinguere scire,maximè conducit ad curationis modum.Et licèt Galen.lib. 1. de arte cur. ad Glau.multa signa ante oculos ponat,quibus hæc distinguere scias:nihilominus ad hæc tria, omnia reduces signa,quæ putridam à diaria distinguũt:nam de hectica suo loco dicemus.

§.16 Putrida ergo à causa externa non oritur,vt diaria.Quòd si aliquando contingat primitiuas causas antecedentes mouere(vt sæpenumerò accidit, ob morbosum humorum apparatum,aut ob causarum euidentium magnitudinem) tũc de febre putrida solicitus esse debet Medicus, ne victũ negligentiùs instituẽs, magnopere peccet,febrem eam diariam esse existimans.

§.17 Quapropter eo tempore vrinas ac pulsus inspicere oportet:vrinas quidem, quia humores calidi in iecore & venis existentes,certissimè per vrinas ostenduntur:pulsus verò,quia febris, proprius affectus est cordis, cuius affectio per pulsus maximè iudicatur: cerebrum verò & eius germina,haud multum nobis ad febris cognitionem confert.Vrinæ igitur in febribus putridis signũ aliquod putredinis habeant oportet,quale est, subsidentiæ inæqualitas,& sanorum subsidentiæ dissimilitudo,tam in colore,quàm in substantia.

§.18 Nam hoc sæpius obseruabimus, quòd vbi in graui febre vrina cruda non est, sed ab initio cocta,malum penitiùs latet à natura intentatum. At in diarijs similes sanorum vrinis conspiciuntur: sed pulsus in putridis inæqualitatem habet,contractionem enim nimis accelerat, qua natura(facultate mediante) instat ac connatur putredinosa fuliginosaq; excrementa expellere. E cõtra in diarijs

fit,

fit, nam pulsus etsi celerior & crebrior ob caliditatem fieri debeat, æqualitatem tamen magnam sortitur. Sola tamen febris diaria ex cutis constipatione (inter reliquas) pulsum habet inæqualem: in hac enim cum clausi sint meatus, neque amplius quæ digeri solita sunt, per cutem euacuētur, facultas ab ijs grauata, aliquam in pulsu facit inæqualitatem, similem ei quæ in febribus putridis experitur. Nam febrilis inæqualitas omnibus febribus putridis comunis est, hanc verò cognoscere difficile est, nam principium dilatationis velocius esse quā mediū, & finē adhuc velociorē (quæ inæqualitas febrilis est) cognitu difficillimū est, & largam pulsuum experientiam exposcit.

Fit eiusmodi inæqualitas ob varias causas, Gal. authore. 2. de præsag. ex pulsibus cap. 4. nam propter obstructiones vasorum & instrumentorum compressionem à redundantia humorum factam, quam vires ferre non possunt, oritur. Quibus accidit ea quæ ex cordis inæquali intemperie fit inæqualitas. §.19. *Iosephus Struthius.*

Febres omnes putridas hæc omnia (quæ dicentur) comitantur; febris, putredo, prohibita transpiratio, obstructio, quæ vel à copia humorum fit, vel à crassitie, seu lentore ipsorum, Gal. authore pluribus in locis, sed præcipuè. 11. metho. c. 10. quo in loco resolutiuam illam methodum satis celebratam scribens, ab vltima illius curationem putridarum auspicatur: ea autem est, fluxum obstruentium humorum compescere, qui nulla alia ratione melius compesci potest, quàm euacuatione, quæ vel purgatione, vel sanguinis missione perficitur. §.20.

At purgatio (quia humorum cōcoctionem & viarum apertionem postulat, quæ non fieri possunt, nisi calefacientibus & aperientibus medicamentis) suspecta redditur in principijs putridarum, nisi turgeat humor. Quare à sanguinis missione, quæ tutissimum præsidiū est, incipere curationem debemus, cum neque deobstruere, neque lentos succos detergere & vias aperire tutum sit, nisi hac prius euacuatione peracta. Illis namque auxilijs non proficeremus, sed etiā affectum maiorem redderemus, vt Gal. ait. 11. meth. c. 10. §.21.

Qua in re illud quàm maximè animaduertendum censeo, in quo plerosque hallucinari cōperies, multitudinem seu copiam humorum nō esse id quod in febribus putridis sanguinis missionem hortatur. Possunt enim putridæ febres, oborta prohibita ventilatione excitari, & secuta obstructione propter crassos & lentos humores fieri, absque plenitudine. In his ergo febribus quæ hoc modo fiunt, sanguinis missionem primò exercere debemus, etiam si plenitudinis signa non adsint. Id quod Galenus. 8. metho. palam fecit in hunc modum scribens. Quippe nisi vitiosus humor penitus transpiret, necesse est putrefiat: ergo vt transpiret, maiore iam auxilio est opus: ac siquidem vel puer vel senex sit, sanguinem detrahere non licet. Inter has ætates, vbi robur ægro non deest, secanda vena est, etiam si plenitudinis signa non adsint. Præstat enim vitiosi succi maiore parte emissa, ad detergendas obstructiones accedere, cum alioquin metus sit, si obstructionibus liberādis, priusquam vacuaueris, studeas, ne ipsas magis impingas. Quæ omnia (ni fallor) venam in omnibus febribus putridis, secandam esse demonstrant, non euacuationis gratia (dumtaxat) quemadmodum in ijs putridis, quæ ex abundantia gignuntur, sed reuulsionis potissimum, siquidem tali vacuatione fluxus obstruentium humorum compescitur, vt Gale. 9. metho. c. 11. apertè docet. §.22. Cap. 4.

Valeant ergo qui dicunt, sanguinis missionem fieri debere plenitudinis ratione, §.23.

tione, aut quia humores à sanguinis natura parum distant, vel ea ratione conuenire, quia humores sanguine commixti sunt: non enim ob has causas exercetur in febribus putridis, sed quia pro putridis omnibus febribus curādis, obstructio illis remedijs tollenda est, quibus vti ante euacuationem non est securum. Igitur tum propter febrem, tum propter putredinem sanguinis missio in omnibus febribus putridis exercenda est. Febri enim ex accidenti conuenit, tanquā remedium refrigeratorium, putredini verò, quia detergentia & aperientia medicamenta, quibus ei opus est, efficaciora & tutiora reddit, impetum obstruentium humorum compescendo.

§.24. Competit etiam putridis febribus venæ sectiò, ea ratione qua Galenus. 8. method. cap. 4. insinuat dicens: Quin etiam fumosa fuliginosaque succorum excrementa quæ transpirant, faecis ipsis imminutis pauciora restabunt, facta enim venæ sectione, id quod corruptum est, educitur, & quod corrumpitur faciliùs alterabitur, iuxta Galeni placitum. 3. artis medicinalis dicentis: Esto etiam si ita contingat in humoribus putrescentibus accendi febrem, indicatio in huiusmodi est euacuatio, atque alteratio: hæc quidem quæ putredinem finiat, manente substantia, euacuatio verò quæ totam substantiam, è corpore educat.

§.25. At quia superiori animaduersione diximus, sanguinis missionem putredinis ratione conuenire, animaduertendum est, id solùm esse verum, vbi putrefactio cum febre est: at vbi humores sine febre, putrefactionem acquirunt, sanguinis missio exercenda non est, vt videre licet in his qui lue Venerea laborāt habent enim hi sanguinem adeò putrefactum & infectum, ac si magna febre putrida laborassent.

Quæ res non paruam ambiguitatem mihi attulit consideranti huius putrefactionis rationem, & quare cum tanta tamque maligna putrefactione (qui eiusmodi lue Venerea laborant) non febricitent. Sed vt rectè difficultates has soluere possimus, non erit abs re essentiam morbi huius inuestigare, & in quo consistat aperire, vt id quod proposuimus pateat. Morbi igitur Gallici essentia in mala temperie, calida & sicca hepatis per contagium acquisita consistere videtur. Et licet causam hanc manifestam ponamus: nihilominus quia totam substantiam corrumpit eiusmodi intemperies hepatis, iure merito inter morbos qui à tota substantia corpus oppugnant, contagiósi morbi constituuntur.

Fernel. li. 1. de mor. diff. c. 7.

§.26 Pro quo illud consideratione dignum censeo, nunquàm eiusmodi morbum oriri sui ipsius ratione, sed per contagium. Licet enim Galen. 6. de locis affectis capite vltimo, humores dicat generari posse in corpore, qui venenosam referant naturam, ita vt symptomata similia fiant ijs, quæ venena sumpta facere consueuerunt, nihilominus nunquàm visum est, eiusmodi morbum sine contagij impressione oriri. Nam si dixeris, pueros nondum venerem expertos, & lactantes, hoc morbo prehensos sæpiùs videri, & proinde sine contagio fieri posse: dicam sanè id contraxisse, vel ex semine sanguineve menstruo, vel ex prauo cacochimoque sanguine lactantis eiusmodi lue infectæ. Hi tamen iam ætate prouecti, etiam si venerem exerceant, nunquàm contagium imprimunt, licet sint maximè infecti: atque hæc est ratio qua videmus sæpius vxoratos, alterum quidem infectum, alterum verò sanum.

§.27. Id tamen ego libenter concedam, nulli dubium esse, quin ante cognitionem

morbi

morbi huius, in hominum corporibus prauus sanguis & cacochymus generabatur, sine febre, non tamen ea cacochymia symptomata inducebat, qualia inducit, quæ ex lue Venerea proficiscitur. Et propterea fere indicibilem habet causam eiusmodi humorum putrefactio.

In ijs ergo qui ex Veneris concubitu, hoc vitio laborant, contagium sic imprimitur. Cùm enim quis cum infecta cōmercium habuerit, emanat ab ea virus aliquod, in quo existit mala quædam & venenosa qualitas, quod suscipit pudendum, vt pote laxum, & confricatione calidum & apertum, à quo paulatim ad venas paruas, deinde ad maiores repit, donec ad hepar peruenit, & suam naturam immutat: quo fit vt sanguinem & humores adurat, & mala illa qualitate inficiat: hos demum humores, & sanguinem, singula membra, tamquam sibi noxios, & ad nutriendum ineptos auersantur, & propterea horum corpora multis redundant excrementis, quæ quia mordacia sunt & adusta, vlcera, pustulas, capilorum defluuia, & articulorum ossiumque dolores generāt, pro varia natura humoris qui aduritur. §. 28.

Ne ergo eiusmodi symptomata fiant, & morbus vires non acquirat, rectè Hieronymus Montuus consulit de eiusmodi contagio loquens, vt statim à cōcubitu cum infecta, pudendum inuoluatur columbo recèns mortuo, vt calore illo virus detineatur, forasque expellatur, ne venas paruas, maioresque & demum hepar inficiat. §. 29

Vnde id esse verum comperies, morbum hunc in principio (si rectè tractetur, idoneaque curatio adhibeatur) curationem recipere posse: at si vires acquirat & hepatis intemperies immodica sit, à qua actus propriæ virtutis deijciatur, proculdubio difficilem curationem suscipit: eamque mancam & diminutam. §. 30.

Sed quòd intemperies hæc sit calida & sicca, à natura rei elicies: nunquam enim videbis vlcera in eiusmodi Venerea lue infectis, quin secum afferant insignem duritiem: quia verò durities cùm erosione partium nunquam fiunt, Gal. authore lib. de tumoribus præter naturam, nisi vbi humor crassus & adustus est, ideo rectè dictum esse existimo, hepatis & venarum intemperiem in huiusmodi hominibus esse calidam & siccam. Pituita enim crassa erosiones nō facit. Bilis verò potius erisipelata generat, quàm tumores duros & erodentes. Præter quam quòd eiusmodi vlcera ijs medicamentis curantur, quibus vlceribus adustis medemur. §. 31.

In quo rectè animaduertit Montanus probans hepar in hoc morbo esse læsum, quòd quando aliquis affectus æqualiter in toto corpore est dispersus, tūc præcipuum aliquod membrum est vitiatum: vt si quis patiatur priuationē motus & sensus in toto, tunc cerebrum vitiatur, & patitur. Pariter si quis patiatur asphixiam, signum est vitium esse in corde: & ita vbi in singulis corporis partibus sanguis vitiatur, tūc hepar esse læsum dices. Ex quibus patet, quæ sit ratio propter quam sanguis in lue Venerea affectis sit vitiosus: nam præterquā quòd aduritur, & propterea concrescit, & veluti fæx & limus in cotylis residet, venenata tamen illa Venerea qualitas, sanguinem inficit, & corrumpit, adeò vt nō iam rubrum colorem & mediocritatem substantiæ retineat, sed alienam qualitatem induat. §. 32.

§. 33. Atque hæc est ratio propter quam sanguis sic infectus, & putrefactus sua ipsius ratione, venæ sectionem non sustinet: cùm quia eiusmodi putrefactio ab obstructione & prohibita ventilatione genita non est, tùm etiam quia vires cum eiusmodi putrefactione infectioneuè minimè constare possunt.

§. 34. Qua in re id ego obseruaui sæpissime, vt si fortè fortuna eiusmodi homines morbo laterali corripiantur, aut alia interna inflãmatione, rarò aut numquam euadunt. Et ratio est, quia cum eo tempore inflãmatio ex tam prauo cacochymoque sanguine generetur, nõ mirũ si febris oriatur maligna ex pessima inflammationis putredine orta, & sic hominẽ è vita tollat. Accedit, quòd (vt diximus) vires in eiusmodi cacochymia non constant, & propterea conuenientem sanguinis extractionem non ferunt.

§. 35. Facilè ergo ex dictis constabit ratio, propter quam etsi sanguis sit putrefactus, non tamen febricitent qui lue Venerea laborant, non enim putrefactionem peperit in eiusmodi, prohibita ventilatio & obstructio, sed solùm eam generat hepatis calida & sicca intemperies humores adurens, & venenosa Venereaque qualitate sanguinem inficiens.

§. 36. Illud tamen non negauerim, eiusmodi homines lue Venerea infectos, promptissimè in febres incidere: nam siccitas valdè corpus disponit ad inflammationem, sicut humiditas contra repugnat. Quapropter biliosi homines, ad febrem simpliciter (vt febris est) magis proni sunt, sicut ad putridas sanguinei: eaque ratione qui eiusmodi lue laborant, non solum ex calida & sicca hepatis temperatura, ad febres simpliciter paratissimi sunt, sed etiam ad febres ex putredine, cum solum indigeant vt calor accendatur præter naturã in sanguine iam putrefacto.

§. 37. Qua in re Auicennæ sententia. 14. tertij, cap. 6. dura admodum videtur, qua innuit, homines hepatis frigidi frequentius febricitare: quam videtur mutuasse à Gal. lib. 8. de comp. pharmacorum localiũ, c. 6. vbi Aldinus Codex in frigida hepatis intemperatura citius putrefactionem oriri dicit, quàm in calida: licet Iannus Cornarius hanc fugiens difficultatem, contrario modo Galenum vertit. Sed vt Aldinum pro Galeno, & Auicennam excusare possimus, dico in frigidis intemperaturis breuì fieri putrefactionem, & proinde febrem, quia caliditas cum adsit, ea diminuta est. Quare diminutè calida citiùs putrescunt, quàm fortiter calida: nam si putrefactio fieri debet, eo est quia humor superari à calore non potest.

Accedit, quod hepar frigidus serosum sanguinem generat, qui facili occasione ebullit, & febrem facit: id quod pari ratione accidit ijs, qui se per æstatem fructibus horarijs ingurgitant, tales enim promptissimè putridis febribus corripiuntur. Nam quò plus humiditas excedit, eo redditur natura putredinosior, maximè si diminutus fuerit calor.

§. 38. Quapropter qui ex eiusmodi causa febricitant, paratissimi sunt ad malum habitum, & hydropim, & propterea parcissimè per venæ sectionem vacuandi sunt, ne totus corporis habitus, simul cum hepate refrigeretur. Nam obstructio vitiosorum humorum in hepate, quæ eiusmodi febrem generare solet, alijs remedijs auferenda est: post parcam enim sanguinis vacuationem factam, & iecur ipsum alterandum est, per contrarium, &

quæ restant superfluitates euacuandæ sunt. Quippe indicatio huius est euacuatio, atque alteratio: hæc quidem quæ putredinem finiat, manente substantia: euacuatio verò quæ totam substantiam ex corpore educat. Hanc Galeni sententiam latè explicat Argentarius libro artis Medicæ commentar. 3.

Sed meo iudicio non tam copiosam expostulat venæ sectionem putrida febris, vbi ex crassis & lentis humoribus genita est, ac vbi copia humorum obstructionem febremque putridam peperit. Nam visciditas, & crassities humorum, aliquo modo sanguinis missionem respuere videntur. §.39.

At verò febres syncopales pituitosæ, & febres ardentes exquisitæ, quanuis febris putrediniśque ratione, sanguinis missionem exposcere videantur, quia tamen in eiusmodi febribus vires robur suum ad sanguinis missionem obtinere non possunt, ideò in ijs à sanguinis missione abstinendum esse credimus. §.40.

Sed quod Galenus libro. 11. method. capit. 14. Aetius libro. 2. sermone. 1. capite. 75. animaduertunt, silentio præteriri non censui, eo vel maximè quòd audiam Valentinos Medicos (alioqui doctissimos) febres omnes putridas, tam larga tamque copiosa sanguinis missione curare, vt ægros ferè omnes, non solùm in mortis periculum inducant, sed etiam eos qui hanc euadere (ob virtutis robur) possunt, in ea incommoda quæ Galen. 9. method. cap. 10. scribit, perducunt: in tantâque debilitatem peruenire faciunt, vt ferè mortui videantur, alios in tabem, alios in hydropem, alios in largam ac prolixam conualescentiam adducentes. §.41.

Inquit ergo Galenus, & Aetius: Quandoquidem verò, neque obturatio, neque putrefactio curari potest per solam venę sectionem, cum alijs auxilijs opus habeant: reseruare aliquid sanguinis, oportet ad curationis tempus, vt ne necessitas aliqua ingruat ob vaeuationem, intempestiuè nutriendi. Quantum enim ad talem febrem attinet, omnino non nutrire oportet. Quantum verò ad sanguinis missionem, nutrire opus erit. Quare ex duobus alterum necessarium erit, vt aut nutrientes febrem augeamus, aut non nutrientes, vires dissoluamus. Melius igitur velut dictum est, relinquere proprium sanguinis alimentum animalis partibus, & ipsum contentum esse modicis sorbitionum exhibitionibus, vt sunt ptisana, & aqua mulsa, quibus vt medicamentis magis quàm alimentis opus habemus.

Qua in re illa præclara Galeni sententia in memoriam reuocanda est libro de venæ sectione, aduersus Erasistratum capit. 7. sic dicentis: Vbi quod redundat tres sunt heminæ, detrahis autem duas, commodabit id quidem, læsionis tamen nihil afferet, licebit namque tibi vnam illam heminam, vel clysteribus, vel inedia, vel frictionibus exhaurire. §.42.

Verum animaduertit Galenus. 9. method. capit. 5. & Aetius loco supra adducto in exercenda sanguinis missione, quòd præcedente ciborum cruditate, eò vsque differre venæ sectionis auxilium conuenit, donec tibi satis esse videbitur concoctio ipsorum in ventre peracta, itemque secessus superfluitatum in intestinis. §.43.

Si verò suspectam habes, post venæ sectionem, aliam fore sanguinis euacua- §.44.

tionem, velut muliebrem purgationem, aut hæmorrhoidum in se defluxum, relinquere oportet in venæ sectione tantum sanguinis, quantũ per alios locos euacuandum putas.

Quare siue menses fuerint moti, siue hæmorrhois aperta, totum negotium naturæ permittito. Si verò non tantum quantum oportebat euacuatum fuerit, tunc venam secato, quo ex vtrisque compositis perficiatur quod conuenit.

§.45. Sed ex hoc loco multi Medici castigationem accipiant, qui dum in febribus putridis muliebris purgatio superuenit, statim ad iuuandum naturæ motum confugiunt, venas quæ in talo sunt secantes, non animaduertentes, quòd vbi menses ex magna humorum irritatione (ante consuetum tempus) mouentur, iuuare non debent eiusmodi motum. At si contingat vt suo tempore fluant menses, sitque natura diminuta in tali euacuatione, eo tempore omni ingenio procuranda est mensium euacuatio: secus autem si ex irritatione eueniat (vt diximus.)

§.46. Ego enim semper si ob quantitatem nimiam molestent humores, & per vterum fluant, ex brachijs facta venæ sectione febres curo, aut si qualitate infestant, purgatione humores euacuo, omnino contempta ex talo venæ sectione, nisi (vt diximus) opportuno tempore fluant, aut tam copiosa sit euacuatio, quæ possit esse satis pro febre curanda: sed hoc rarissimè accidere videbis, quin potius, vt in plurimum, eiusmodi euacuatio diminuta mancaque est, & quæ Medicum ab auxilijs necessarijs auertit.

§.47 At verò id quod Galenus 4. methodi scribit, practicos Medicos reddit vigilantes, inquit enim: Vbi sanguis est paucus, & reliquus succus plurimus, cauendum est, à sanguinis missione. Quis ergo de cætero eiusmodi persuasus sententia, iuuenem satis biliosum, copiosam bilem ex animi passionibus aceruantem, & per aluum aut vomitum impetum facientem, sanguinis missione vacuare audebit? id quod Auicenna capite de venæ sectione. 4. 1. eleganter animaduertit dicens: Et caue ne ægrum ad vnam duarum rerum perducas, aut ad colericorum ebullitionem, aut ad crudorum infrigidationem.

§.48. At febres putridæ malignæ ea ipsa ratione qua reliquæ febres putridæ in principijs sanguinis missione curandæ sunt. In quibus id totis viribus student Medici celebres, vt humores putres malignosque à corde reuellant, sanguinis missione primum, deinde purgatione. Cùm enim in huiusmodi febribus multa sit ad expurgationem indicatio, propter prauam malignamque putredinem, fit vt maxima cum ægrorum vtilitate, post duas, aut tres venæ sectiones parcas, ad expurgationem humorum pessimè putrefactorum confugiamus (vt mox dicemus cum de purgatione in febribus putridis verba faciemus.) Deinde cucurbitulis frictionibusque, id quod superest reuellendum est à corde.

§.49 In quo illud obseruandum est, febres malignas (vt in plurimum) ex genere synochorum esse: has Galen. 9. method. duplici auxiliorum genere curat, sanguinis vacuatione, & potu aquæ frigidæ, coctionis signis præcedentibus. Sed ego in febribus synochis putridis malignis, nunquam potum aquæ frigidæ exhibeo, ea ratione motus, quòd febris hæc à pessima putrefactione

in

in profundo corporis originem ducat, quæ multa abstersione, & viarum reserationeindiget: necnon expulsione humoris ad extimas corporis partes: quæ omnia quia potus aquæ frigidæ prohibere potest, impingens intro humores,& prohibens ne extra tradantur, ideò potum aquæ frigidæ (cane peius & angue) fugio.

Sed in sanguine mittendo est aliquid peculiare his febribus putridis malignis, consideratione dignum à Medicis practicis, Quòd post prædictas sanguinis euacuationes ex brachijs, & purgatione facta, pro ratione infestantis cacochymiæ, consultum est apud me, vnam, aut alteram venæ sectionem exercere, ex venis quæ in talo sunt, aut crurum scarificationes (vt mox dicemus.) Cuius facti animaduersionisvè rationem iam dicam. Cùm maligna ea putredo neruos ac vires acquirit, vt vacuationibus initio factis, malignus morbus non cedat, solet humor cor ipsum inuadere, & inquietum hominem reddere, cerebrumque ipsum opprimere. Ne ergo humor malignus sursum repat, crura scarificare, aut ex talo venam secare oportet, vt & simul humorem à corde reuellamus & à cerebro. Quæ euacuatio si fieret ex brachijs (vt consultum est apud multos in processu morbi eam exercere, videntes, adhuc morbum perseuerare) sine dubio humores malignos per loca cordi vicina transire facerent, & ipsum maiore molestia afficerent, vt ergo hoc vitemus, animaduersum est apud me, sanguinem ex venis tali mittere, vel crura scarificare in morbi maligni decursu, ex quibus ægri meliùs habent, humoribus à membris præcipuis reuulsis. §.50.

Sed quia posset aliquis in nos obstrepere dicens: Vt quid venæ sectionem ex talo non exerces in principio, cum per id tempus humores malignos oporteat etiam à corde reuellere: ideò animaduertant medicinæ studiosi, quòd in febris malignæ principio, non tam studendum est reuulsioni solùm, quàm humoris maligni vacuationi & reuulsioni simul: qui quia inter alas & inguina putrescit, à quibus partibus venæ sectio ex cubito euacuat, (vtpote quæ eas partes vt euacuet, maximè respicit) ideò rectè facimus, dum in principio venas secamus cubiti: in quo faciendo etiamsi fiat transitus humoris putridi, per loca cordi vicina, nihilominus quia circa initia, & fines omnia sunt imbecilliora, ideò eiusmodi transitus timendus non est, non enim humor in principio tam pessimè putrescit, ac in febris processu, quando scilicet, cor & cerebrum prehendi videntur, & maiore molestia, & angustia æger afficitur, & hoc tempore, venas tali secare, aut crura scarificare suademus, simulque ea medicamenta exhibemus, quæ malignæ pessimæque putrefactioni resistere possunt: qualia sunt hiacintorum confectio, & pulueres cordiales, necnon lapis Bezar. §.51.

Sed hanc in maiore quantitate & pluries ego exhibeo, ac solent mei temporis Medici (vt interim hoc animaduertant praxim exercentes) communis mea dosis est, granorum sex, & octo. §.52.

Sed quando venæ sectionis ex talo, & crurum scarificationis memores fuimus, non erit abs re id quod Galenus libro de scarificatione commemorat, in medium afferre, inquit enim eodem anno venam frequenter incidere, minimè quidem rationi consentaneũ videtur, quandoquidẽ cũ larga sanguinis copia, vitalis quoq; spiritus emittitur, quo sanè absumpto, crebrius quidẽ moles vniuersa frigescit, tùm animales functiones omnes deteriores redduntur: §.53.

Quamobrem ab ignobilioribus membris, vtpote à cruribus, sanguis educẽdus est: ex quibus verbis multa maximi momenti eliciuntur.

§.54. Primum illud est, quàm periculosæ molestæque sint frequentes per anum venæ sectiones. Id quod ex hoc facilè cognosces, quòd videas sæpè ex sanguinis vacuationibus à natura factis (vel per sedem, vel per muliebrem purgationem) totum corporis habitum ita refrigerari, vt vel in cachexiam vel in hydropem facili negocio incidant ægrotantes.

§.55. Secundum quod ex Galeni doctrina colligitur, est, sanguinis vacuationem ex cruribus factam (siue id fit per scarificationem, siue per venæ apertionem) minus vires deijcere, quã sanguinis missionẽ ex brachijs. Vt hinc colligas, non admodum esse verũ quod Auicenna. 4. 1. c. 20. inquit, venæ sectionem crurũ magis vires deijcere, quàm ex cubito. Alienum enim à ratione videtur, ex cruribus factam vacuationem magis debilitare, cùm non adeo immediatè à principibus membris exhauriat, vt euacuatio quæ ex cubito fit.

§.56. Quod si forsan aliquando expertus fueris ex sectione venæ tali ægrum debiliorem, id quidem referre te oportet ad Chirurgi sectionem facientis negligentiam, qui solet ex talo plus multò sanguinis exhaurire in aqua calida, quàm ex brachijs.

Vel illud referas (si mauis) quòd venæ sectio ex talo, sedentibus, non iacentibus fit: quod maximè facit, vt animi deliquio prehendantur ægrotantes, & vt in plurimum fœminæ animi defectione videntur corripi, ob mollem, mimosam venereamque naturam ipsarum.

§.57. Quòd si forsan Auicennæ sententia tibi placuerit, dicas, simul cum sanguinis reuulsione ad partes longinquas, reuelli etiam spiritus à corde, & proinde pulsus debiles ac lãguidos fieri, Galenique sententiam libro de scarificatione citato intelligendam esse dicas de scarificatione crurum, non de venæ sectione ex talo, aut ex cruribus, vt ex capite. 19. eiusdem libri manifestum fit: in scarificatione enim venę exiguæ secantur, è quibus exigua copia spirituum exhalat, & proinde vires non ita labuntur per scarificationem, ac fit, cum magna aliqua vena pertunditur.

§.58. Et ob hanc causam æstate venam exiguo vulnere pertundere consulunt, tum Gal. tum Auicenna. 4. 1. c. 20. ne per magnum vulnus spiritus diffundatur vberiùs.

§.59. Et licet crurum scarificationes magis opportunæ sint pueris, quàm adultis; (hi enim venarum apertiones & vberiores vacuationes faciliùs ferunt, quidquid Andreas Lacuna de hoc auxilio pro pueris curandis scribat, docet enim nos experientia scarificationes crurum à magnis ac acutis febribus liberare pueros. Nisi quandoque accidat, vt vel pleuritide vel angina pueri corripiantur, tunc enim brachiorum potius scarificationi consulerem, quàm crurum) nihilominus Gal. lib. de scari. c. 20. eam vacuationem mulieribus esse propriã pronuntiauit, illis (inquam) quibus purgatio menstrua prosperè non succedit: nam quod ad debitam purgationem deest, id hac via vacuatur.

§.60. Quod animaduertentes nostrates medici, rectè faciunt, dum puerperarum non probè purgantium femora cucurbitulis appositis scarificant. Quod adeò perpetuum est, vt si quando morbus adhuc propinquiorem venam secare expostulat, sectionis tempore cucurbitas cruribus affigere semper suadeo.

Sed

Sed in hoc nō possunt castigationē effugere,qui nullo in affectu crura,vel fœminarum,vel virorum scarificare,sed venas tali secare præcipiunt,quando Gal. loco citato,non solum fœminis,sed & viris eiusmodi auxilium multum prodesse scribat. Mulieribus quidem,vt de more mēstruæ purgationes iterum redeāt: nam continua in inferioris partes sanguinis eductio,inclinationem viamq; ipsi præbet:habet enim prædicta euacuatio multum efficaciæ, vtpote quæ naturalis excretionis modum imitetur. Hanc euacuationem Lusitani Medici exercent,venas crurum secantes,nostrates verò Chirurgi eam facere ignorāt,talos semper secantes,aut crura scarificantes.

Sed in hoc faciendo cōsideranda est totius corporis plenitudo,qua existēte, primùm brachij venæ secandæ sunt:posteà(si Aetio credendum est)crura scarificanda,idque maxima cum ratione.Nam si in febrium obstructionibus tollendis Galen.corpore pleno existente,de obstruentia medicamenta denegat, timens ne obstructiones magis impingantur,cur nō similiter crurum scarificationes,& venarum tali sectiones timebimus,quæ sine dubio vicem habent medicamenti deobstruentis:exhauriunt enim eiusmodi crurum sectiones,sanguinem crassum ora venarum occludentem,& repentino sanguinis motu ad inferiores partes expultricem irritant ad assuetam purgationem. §.62.

Licet Galen.in magna illa peste totam Asiam apprehendente,nō solùm fœminis,sed & viris,existēte plenitudine crura scarificat:id quod Gal. (vel Apollonius in se ipso expertus est illa eâdem tempestate, duas ferè libras sanguinis scarificando extrahens:quo auxilio alij multi(& præcipuè quibus plenitudinis signa manifesta erant)superstites euaserunt.Cuius facti(meo iudicio)hæc est ratio:facta enim copiosa per scarficationem sanguinis vacuatione,& simul plenitudo auferebatur,& venenosa pestiferaque materia à corde in longissimas partes reuellebatur:vt vel ex hoc rectè animaduersum esse in superioribus intelligas,dum in febribus malignis venas tali secare, vel crura scarificare suadebamus,id etiam ex hoc colligitur,quod existente plenitudine crura scarificare poteris,dummodò multam copiam exhaurias. §.63.

Prodest etiam fœminis valde ætate prouectis,quibus iam pridem nihil menstrui sanguinis euacuatur, vbi aliqua corporea molestia conflictari videntur, ex eiusmodi enim crurum scarificationibus maximè leuantur: hoc dixerim, vt de cætero audaciores sint in scarificationibus faciendis,tam in pueris, quā fœminis & viris. §.64.

In sanguinis præterea missione exercenda in febribus putridis id attendere oportet,quòd tempora febrium consideranda non sunt,hæc enim cū nec quantitatem neque qualitatem,nec remedij differentias monstrent,indicare nō possunt hoc vel illo tempore esse faciendam,vt Galen.lib.de optima secta ad Trasybulum.c.25.in fine monstrat,& eodem lib.cap.22.in medio. explicans illam Hippocratis sententiam,Inchoantibus morbis,si quid tibi videtur mouēdum, moue,sic scribit.Non ratione temporis, sed virium ratione auxiliorum adhibitionem decernit. Nouerat enim Hippocrat. morborum initijs facultatem esse valentem:& propterea remediorum applicationi non obstare. At in morborum vehementia,iam flacescens virtus remediorum agitationem non sustinet.Itaque virium tantùm exolutio,quæ sæpe in statu (defessa quodammodò natura) accidere solet,sanguinis missionem dehortatur, non tempus morbi. Nam si vires in statu constare videantur, & vrgeat febris, naturaque pigra sit §.65.

in

in excernédo expellendoque humores, proculdubiò rectè sanguis mitti potest: id quod animaduertens Galen. 9. metho. c. 5. sic scripsit: Maxima vera continentium febrium remedia, hæc duo sunt: detractio sanguinis, & potio frigidæ. Verũ illa nullo non tempore (modò vires sustineant) exerceri potest, hæc cùm in pulsu, & vrinis coctionis euidentes notæ cernuntur.

§. 66. Et eodem loco sic inquit: Optimũ igitur factu est (id quod nos sæpè in re quoque facere vidisti) statim nõ numero dierum, sed vni virium robori, in febribus eius generis attentum esse, quippe quod si seruatum est, non solùm sexto septimoue, sed etiam sequentibus diebus sanguis est mittendus: id quod Galen. lib. de sangui. miss. cap. 20. expressius prædicauit, & Aetius suo loco.

§. 67. Ex quo loco id obseruatione dignum elici potest, perperam facere Medicos, dum septimum diem tanquàm sacrum semper obseruant, nullum remedij genus adhibentes, cùm palam sit Galenum die septimo sanguinem mittere, dummodo vires consentiāt, & morbus postulet, omissumq; sit eiusmodi remedij genus (vel ob Medicorum ignorantiam, vel ob ipsius ęgrotantis, vel propinquorum timiditatē) adde etiam si non spectetur crisis futura: tunc enim securè sanguis educi potest.

§. 68. Cæterum de hora sanguinis missioni oportuna Galen. lib. de curandi ratione per sanguinis missionem suam in hunc modum protulit sentētiam. Sanguis quauis diei noctisque hora mittendus est, modo Medicus in febribus particularium paroxismorum declinationem respiciat: in alijs verò à febre morbis quibus hoc opus est auxilio, non declinationem omnino, cùm omnino febris non adsit, sed magnitudinē aut doloris, aut phlegmones, aut totius affectus expectare oportet. Quæ sententia quia difficilis est, aliquas notatu dignas animaduersiones exposcit.

§. 69. In febribus igitur spectanda est pro sanguinis missione inclinatio febris, vbi ex modo febris cognoueris, inclinaturam esse. At in doloris affectibus, præcipuè vehementibus, quia doloris vehemētia sæpe ex impetu fluxionis fit, quæ fortassè sine vacuatione non mittescit, ob id nõ spectanda est remissio doloris: nequit enim diuinare Medicus, an inclinaturus sit dolor, vt potest in febribus. Quia ergo fortassè omissa vacuatione, dolor inualescet continuò, non spectamus remissionem, vt per vacuationem humor fluens retrahatur.

§. 70 Quod si ex diebus præteritis compertum habueris, dolores inclinaturos, & præsentes non admodum vehementes esse, tunc consultius est expectare remissionem, quæ præcedere debet sequētem exacerbationem: quis enim vbi aliquis de dolore capitis singulis noctibus conqueritur, quem & ex sanguine esse, & matutino tempore remitti conspicimus, venæ sectionem non differet vsque ad remissionis tēpus? Imò & in podagra, & alijs morbis, artificiosissimè venæ sectionem differimus ad declinationis tempus, præcautionis gratia.

§. 71 Itaque Galen. cùm doloris exacerbationem spectare suadet, de doloris vrgentia intelligendus est: id quod ex eodem Galen. paulò inferiùs sic dicente colligitur: Cùm autem nihil eiusmodi, aut vrgeat, aut prohibeat, præstat manè venam incidere. Igitur in febribus remissionem non habentibus (vt sunt synochi) nihil vetat si sanguinem etiam extrahas in ipsa vehementia: in his verò quæ remissionem sunt habituræ (id quod cognoscetur facilè ex more & forma febris) inclinatio spectanda est: at in phlegmone & dolore, & in ipsa doloris vehemētia, & in declinatione etiam ipsa.

Aetius

Aetius verò (simia Galeni fidelis) contrariā sententiam videtur referre lib. 3. cap. 16. sed meo iudicio error fuit eius qui ipsum Aetium vertit in Latinum, nam pro verbo hoc, exacerbari, mitigari transtulit, vt legenti considerātique palam fiet, vt sensus sit. Qua enim hora videris dolorem exacerbari, venam secabis. §.72.

Et licet iam quodammodo animaduersionum medicinæ practicæ limites transire videamur: placuit tamen id quod Galenus scribit. 1. aphoris. 3. in medium proponere, & mixtam ex theorica & practica animaduersionem facere. In vniuersum, inquit, in omni euacuatione vires ægroti attendere oportet, & donec tolerant & nondum laborant, tentandum est humorem superabundantem educere: cum verò deficiunt vires, etiamsi restent aliquæ superfluitates, cauere oportet earum euacuationem. Quapropter non erit abs re, virium robur & essentia, in quo consistat aperire, & denique earundem virium facultatisq; debilitatem cognoscere docere, vt vbi vires ad euacuationem inuestigamus, illud distinguere sciamus. Maxima quippe virium est dignitas, dicente Gal. 9. metho. c. 13. quando viuere ipsum ex harum custodia constat, quippe cùm vitam aut ipsas esse vires aut earum actiones necesse sit. §.73.

Robur igitur facultatis in optimo temperamento substantiarum corporis, (nempe) membrorum, humorum, spirituum consistere, mox ex Galeno deducemus, qui facultatem hanc nihil aliud esse quam innatum calidum. 1. aphor. 15. sic dixit. Hinc vt existimo percipies, gubernantis nos robur facultatis, quæ est calor innatus omnium operum author. Neque enim aliud quidquam ab initio animal formauit, sicuti nec rursus adauxit, aut vsque ad mortem enutriuit, præterquā iste calor innatus: id quod Gal. ab Hippocrate mutuauit, lib. de natura pueri, & lib. de carnibus, & lib. 1. de dieta, vt manifestè patet ei, qui non oscitanter eos libros perlegerit. §.74.

Quia verò calidum hoc innatum, multifariam multisque modis accipitur ab Hippoc. & Gal. ne hos viros reprehendendi occasio prębeatur, variam atq; multiplicem eius acceptionem proponam, vt hinc facilè percipias, in quo virium essentia facultatisque robur consistat, quod pro vacuationibus omnibus tan ennixè à medicis exoptatur. Nihil enim familiarius aut consuetum magis est, quam apud ægrotantes de facultate debili aut forti sermonem habere. §.75.

Galenus ergo libro aduersus Lycum apertissimè docet, sanguinem & semen (quæ nostræ generationis primum sunt principium) ex quibus partes nostri corporis primo constituuntur, esse dicique calidum innatum. §.76.

Aliquando verò calidum innatum appellat partes corporis ex prædictis sanguine menstruo & semine genitas, vt Hippoc. & Gal. in aphor. 14. vbi pueros plurimum habere calidi innati affirmauerunt: per eam namque ætatem, nec semen, nec sanguis menstruus adest, sed ea dumtaxat substantia calida, quæ ex ipsis est genita, quæ non immeritò calidum innatum appellatur, quia parum distant eiusmodi partes à primis principijs, minimeque consumptam habent eam substantiam, quæ in semine & sanguine menstruo erat copiosissima. §.77.

Quia verò hoc calidū innatū, tepidum est (vtpote quod ex aërea & aquea substantia præditum) nisi alia similis substantia illi suggeretur calidior, quæ innatā (facilè dissolubilem) restitueret, profectò breuissima foret hominis vita: ob id spiritum & sanguinem ex alimentis quotidie genitum, calidum natiuum vocat Galen. eaque ratione, lib. de sanguinis missione, calidum natiuum perse- §.78.

perseuerantiam habere ex sanguine, scribit, insinuans sanguinem influentem, non esse verum innatum calidum: id quod libello de fœtus formatione apertiùs docuit, duplicem innatum calorem statuens: primum quidem eum, qui singulis partibus insitus est, tepidus, & aëri in aliquo cubiculo contento similis; alterum verò à corde proficiscentem, impropriè sic dictum, quia verum innatum calidum auget tueturque.

§.79. Aliquando verò calidum innatum appellat: id quod ex innato & influente conflatum omnium actionũ naturalium author existit, & hoc modo loquutus est. 1. apho. 14. citato, illo, Qui crescunt, &c.

§.80. Quia verò calidum ingenitum mite est & suaue, & ex sanguine pituitoso aptiùs hoc calidum nutriatur, quàm ex bilioso aut melancholico, hinc fit, vt Gal. 8. de placitis, & lib. de tremore, innatum calidum temperatũ esse, ex sanguineque & pituita constare affirmet. Præterquam quòd sæpissimè spiritus, innatum calidum appellantur à Galeno, quia potissimum omnium actionum instrumenta sunt.

§.81. Ergo cum facultatis essentiam in calidi innati substantia collocare necesse sit, & hoc innatum calidum tùm ex insito, tùm ex influente constet (vt diximus) meritò eiusdem facultatis robur in optimo huius insiti ac influentis calidi temperamento consistere est dicendum: id quod Gal. 12. metho. c. 5. docuit his verbis. Sed cum essentia virium quibus regitur corpus, tum in spiritu, tum in solidorum corporum temperamento consistat, hæc nobis seruari omnino debent, &c. Et paulò infra: Spiritus (inquit) substãtia vnà cum solidis corporibus, sic nobis custodienda in morbis sunt, vt tùm qualitate, tũ quãtitate quoad fieri licet naturaliter se habeant.

§.82. Ex dictis manifestè infertur vtilis hæc animaduersio, quod natiuo substantiarum temperamento rectè & saluo se habente, potest nihilominus ob defectum influentis homo languescere, vt sæpe in euacuationibus paulò immoderatis conspicimus. Sed eiusmodi imbecillitas facilè restaurari potest, cùm substãtiarum temperies parum sit læsa. Nam si hæc magnopere læditur, procul dubio imbecillitas magna cum difficultate restaurabitur: principio (nimirum) restaurationis inualido existente: atque ea est ratio, propter quam senes difficillimè restaurantur, quoniam (scilicet) virtus in radice debilis est, ob humidi primogenij consumptionem.

§.83. Cum igitur virium essentia ex dictis iam sit manifesta, & vires facultates ve in corpore sint multiplices, considerandum videtur, an facultas vitalis aut animalis, naturalis ve ad euacuationem valida desideretur, vel potiùs omnes.

§.84. Et licet Gal. lib. de constitutione artis medicæ ad finem, præcipuè facultatis vitalis robur exposcat, quoniam ad vitam maxime necessarium est, ex cuius noxa celerrime mortes adueniunt, nihilominus quia mutuus est inter omnes facultates consensus, vt qualibet earum amissa, necessarium sit reliquas vnà perire, Gal. authore. 9. metho. c. 10. ideò nulli dubium erit, quin omnes facultates ad vacuationem fortes sint necessariæ, sed vitalis maximè & precipuè: animalis secundo loco, & vltimo naturalis, vtpote quæ omnium tardissimè mortem inducat, teste Gal. 4. de victu acutorum. 47. eaque ratione idem Gale. 9. metho. cap. 10. ex immodica vacuatione alios subitò interijsse, alios in affectus ad animalem facultatem pertinentes, apoplexiam scilicet & deliria, alios verò in affectus ad naturalem vim, vt aqua inter cutem, malum habitum, soci-

no.

norisq; & ventriculi imbecillitatem lapsos esse, pronuntiauit: prout hæc aut illa facultas magis minusve valida erat. Qua propter recte Gal. lib. de sanguinis missione, omnes facultates validas debere esse ad vacuationem dixit c. 6. in hunc modum: Vbi ergo extantibus plenitudinis signis, valētes fuerint facultates, venam incides, si tensiua quidem sit affectio, &c. Quòd si Gal. 11. metho. c. 9. ad frigidæ aquæ potionem cunctas vires valentes desiderat, quid obstat quo minus ad vacuationem (præcipuè sanguinis) cunctæ facultates firmæ sint optādæ? Nulla enim alia ratione in frigidæ potu requiruntur, nisi ob metum immodicæ refrigerationis. Sed hanc non minus formidare oportet in vacuationibus: ergo omnes facultates fortes maximè necessariæ sunt.

Neq; solum eiusmodi facultates toti corpori comunes, fortes sint oportet, sed etiā quæ membrorum sunt peculiares, ad vacuationem fortes requiruntur: nam ventriculus debilis ob frigiditatem sanguinis missionem vetat, ob calorem verò debilis, purgationem respuit: & sic de alijs partibus est dicendū: vt de vtero, vesica, renibus, &c. §. 85.

Sed id quod Gal. 11. metho. c. 5. dicit, occasionem præbet animaduertendi, quomodo facultatem debilem cognoscere possimus, & denique quibus modis vires possint languescere. Inquit enim Gal. Quippe si valentes sint vires, audacter vacuantibus præsidijs vtēris: sin infirmiores sint redditæ, vacuantia remedia cautiùs administrabis. §. 86.

Imbecillitas ergo virtutis nihil aliud est, quàm impotentia quædā ad actiones: quæ vt ex Gal. colligitur. 3. de præsag. ex pul. c. 4. tripliciter virtuti accidere potest. Vno quidem modo, quando præ nimia quātitate facultas ipsa grauatur. Nam eo modo quo onus aliquod humeris impositum, adeò graue fit, vt mouere se homo (nisi magna cū difficultate) nō possit, ita præ sanguinis redūdantia, non solum animalis facultas motiua debiles motus, sed etiam vitalis inæquales pulsationes edit, adeò, vt vbi copia multa est, & diu durat, in verū languorem virtutem ipsam perducat. Nam extincto calore & spiritu, non est mirum, si in animi deliquium, ac syncopim incidant ægrotantes. In eiusmodi ergo debilitate (si res postulauerit) sine cautione audacterque vacuabis. Alio modo languida redditur facultas, vbi quod ipsam infestat, non tā multum est, quàm irritans & malignum, cuius ratione partim dissoluitur, partim verò refugiens reformidansq; humorum malignitatem debilis conspicitur, vt experiri licet quotidiè in humorum acrium defluxionibus ad ventriculi os, quorum ratione pulsus exigui & languidi apparēt: at amota fluxione illa, citius quam quis possit existimare, pulsus ad suam naturam redduntur. §. 87.

Et licet eiusmodi debilitas quodammodo ad debilitatem per aggrauationem reduci possit, nihilominus re etiam vera, nonnihil facultas dissoluitur, incipiente nimirum præ acrimonia & malitia, ipsa temperie corrumpi: & ob hanc rationem in eiusmodi debilitate cautius & magna cum animaduersione vacuabis. §. 88.

Tertio modo debilitas impotentiaq; vires essentialiter labefactat, vbi proprium temperamentum substantiarum corporis, vel vi morbi dissoluitur, vel multis & effatu dignis euacuationibus subuertitur: quo casu nihil omnino vacuabis, sed multa cura & diligentia languentes vires recuperabis: id quod non tam difficilè fit, vbi ob copiosas euacuationes, ob fectum calidi innati influētis languet facultas: tunc enim & cibo & potu restaurantur: at vbi ob defectū §. 89.

calidi

calidi innati insitique debilitas cõtingit, difficillimè recuperantur ægrotãtes, vt in marasmo & ætate senili experimur.

§.90. *Hinc* poteris intelligere, quid sit in causa, quòd qui ex longis morbis restaurantur, vbi robur acquisiuisse videntur, ex quauis leui occasione languescunt: quia calidum illud innatum influens, ex sanguine & spiritu constans, cùm ad huc recens sit, nec integre sit restitutũ, ex quocumque motu, aut quacumque va cuatione, facili negocio euanescit, cùm adhuc dispositionem tantùm, non habitum acquisierit facultas.

§.91. Hinc etiam intelliges, quare in subitis vacuationibus animi deliquium (quod est præceps virium lapsus) apprehendat: quia cùm calidum influens euacuetur copiose, & non possit tã subitò restaurari, vt vacuatur, desistit facultas ab actio nibus. In alijs verò paulatinis euacuationibus, etsi calor influens langueat, quia verò ex parte remanet, ex parte restituitur paulatim, ideo in animi deliquium non incidunt ægrotantes.

§.92. Sed hic id animaduertendum ex libro de Marasmo censui, quòd quamquã maximus fiat substantiarum omnium corporis lapsus, nihilominus cor omnium postremum eiusmodi lapsum debilitatemque sentire percipies, ita vt nõ tantus in corde, quantus in reliquis partibus lapsus inueniatur: cuius hæc ratio est: quoniam cor vehementissima facultate tractrice cùm polleat, prius reliquæ partes, quàm cor, penuriam alimenti sentiunt, & ob id prius & labuntur & deficiunt.

§.93. At quia Galeni animaduersio 4. metho. c. 6. maximam legentibus præbet difficultatem, non erit abs re (vt scopos omnes sanguinis mittendi percurramus) nõ solũ quod ad morbi magnitudinẽ, sed id etiã quod ad ætates pertinet attendere. Solent enim eiusmodi duo scopi in medicorum consultationibus rixam non facilem parere. Inquit ergo Gal. Quando si valens morbus sit cum virium robore, nullus est qui sanguinem non mittat, ex ijs quiin artis operibus sit exercitatus.

§.94 Sit igitur hac in re prima hæc consideratio, quòd magnitudo morbi, non solum indicat sanguinem esse mittendum, sed etiam humores esse purgandos. Et quamuis Galenus loco citato 4. metho. c. 6. longo sermone ex Hippo. lib. de vlceribus hanc animaduersionẽ demonstret: nihilominus Hippo. 6. apho. 47. & Gal. in com. vtrùm horum remediorum prius sit exercendum, à morbi specie, & morbi causa desumi debere insinuant, in hunc modum. Quibuscunq; venæ sectio, vel purgatio cum medicamento conuenit, hos vere purgare, vel venam incidere oportet: & Gal. sic illud explicat: Hos enim oportet, vt anticipemus euacuare vere adueniente, vel per venæ sectionem, si plenitudinis passionibus subijciantur, vel per purgationem, si eis, quæ ex humorum corruptela proueniunt. & libro de curandi ratione per sanguinis miss. c. 8. sic inquit: Eãdẽ ratione in ijs in quibus pars quædam icta est, aut vtcunque aliter habet incipientem phlegmonem, eam si magnam fore suspicamur, curationem ab inanitione auspicamur, aut purgatorio medicamento exhibito, aut vena incisa, prout nimirum alterum alteri magis conuenire iudicamus.

§.95 Quod si magnitudo morbi perpetuò sanguinis missionem indicaret, profecto æquè pariterque, tam in morbis frigidis magnis, quàm in morbis calidis exerceretur: sed id perpetuò non esse faciendũ monstrat Gal. 4. de rat. vict.

in

in acutis loquens de Hydrope. Tympaniam verò & ascitem nullus per sanguinis missionem sanare est ausus.

Nisi forsan frigidi morbi ex retentione alicuius consuetæ euacuationis pēdere videatur, vt Galen. loco citato tympaniā curauit ex retētione solitæ euacuationis pēdētē, & libro aduersus Erasist. c. 5. inquit, famulæ Stimargi iussisse Hippo. sanguinē detrahere, etiā tremore correptæ, ex mēsiū suppressione: sic ergo præfatæ mulieri licet iam tremore correpta esset, secare venā non distulit Hippo. cùm è diuerso nemo alter in tremoribus æquè atque hydropisi, aliove frigido affectu vllo, sanguinem vnquam detrahere ausus sit. In talibus enim ex calidi succi euacuatione adhuc magis corpus necessariò refrigeratur. §.96.

Nec in magnis morbis à causa calida pendentibus tutū est sanguinē mittere, cùm possit materia peccans cōmode pharmaco educi, præsertim si turgere aut vrgere sentiatur, frustra enim venæ sectio tunc exercetur, quæ promiscuè & bonos & malos succos è corpore educit, Gal. authore. 6. apho. 47. citato. §.97.

Itaque cum morbi magnitudo triplex sit, Galeno pluribus in locis monstrāte, & præcipuè. 4. metho. c. 6. vel propter afflictæ partis præstantiam, vel propter affectus magnitudinem, vel propterea quod sit cacoëthe, in cuiusque horū magnitudine, & venæ sectionem & purgationem conuenire, eo in loco prolixa oratione contendit Gal. ex Hippocrate. §.98.

Sed quod ad febris magnitudinem spectat, nōn piget Galeni locum satis difficilem explicare, vt nullus inter consultandum relinquatur scrupulus in Gal. doctrina, inquit enim, magnitudinem duplicem esse in morbis, vel propriæ substantiæ ratione, vel declinationis à naturali habitu. 11. metho. c. 5. in fine: id quod facilè interpretabitur, si ipsum Gal. perlegeris. 8. metho. c. 9. in hunc modum scribentem. §.99.

Quippè quæ à febre sumitur indicatio, ea reliquis omnibus contrarijs, numero quidem inferior est, magnitudine tamen quæ ex dignitate expectatur, vtique superior est, potissimum si longè à natura recesserit. Quippè dupplex tum magnitudo illi accedit, & quæ ex febris genere prouenit, quæ omnibus est communis, & quæ propria suaque ipsius est. Siquidem & quia est febris, plus cæteris omnibus solicitos nos habet, & quia præterquam quod febris est, etiam magnitudo illi notabilis accidit, idcircò contrarias indicationes obumbrat. §.100.

Ex quo id in praxi faciendum elicitur, quòd vbi ratione febris venæ sectionem exercemus, tunc maximè & præcipuè facienda est, quando non solum febris est, eiusmodi remedium exposcens, sed etiam vbi magnitudo notabilis illi accedit. Quòd si cum ijs etiam ea magnitudo accesserit, quæ cacoëthiam monstrat, aut malignitatem, iam audacter maximum remedium esse adhibendum delliberabis, causam febris animaduertens, an commodè vel per venæ sectionem, vel per expurgationem educi possit, vt supra diximus. §.101.

Neque plenitudo aut concursus humorum est id quod sanguinis missionem hortatur & indicat, quando Gal. 4. methodo. c. 6. satis manifestè illud demonstrat in hunc modum scribens. Nam si quis adhuc sanus & nequicquam læsus in sanguinis redundantis concursu sit positus, non statim huic mitti sanguinem est necesse: imò alijs satisfacit inedia, alijs cibi §.102.

parcitas

parcitas,alijs soluta aluus,vel purgatio,vel frequēs balneum,alijs sola exercitatio vel multa frictio abundè fit.

§.102. Quòd si plenitudo esset, quæ sanguinis missionem indicaret,nunquam venæ sectio exerceretur,nisi plenitudine existente:sed sic est quòd eam exercemus,nulla in corpore redundantia sanguinis & aliorum humorū ex æquo præcedente:ergo plenitudo non est quæ sanguinem mittendum commonstrat:id quod Galen.eodē.4.metho.citato manifestū facit in hunc modū :Quippè Empiricos ipsos videmus,cum lapsus ab alto quis sit,aut aliàs plaga affectus,vehementer contusas corporis partes habuerit,ad sanguinis missionē confugere, quamquam idem homo paulo ante sanus fuerat,prorsusque redundantiæ sanguinis expers.Ex quo patet nō hoc esse quod sanguinem mittendum indicet, sed magnitudinem morbi sanguinis missionem exposcentis, cùm virium robore,exceptis tamen à sermone pueris.

§.103. Postrema hæc verba,& illa etiam quæ Hippo.4. de ratione victus in acutis scripsit,illo,In acutis morbis sanguinem detrahes,si morbi magnitudo & virium robur adfuerit,floruerit que ægrotantium ætas,maximam practicis medicis difficultatem præbent,nunquid puerilis senilisue ætas sanguinis missionem indicet,an omnino prohibeat veterque.

§ 1. Qua in re illud in primis attendēdum censeo,ridiculum esse existimare,Galenum sibi persuasisse puerum octo aut decem annorum musculosum solidumque & bene nutritum,hyeme aut vere dolore lateris,aut angina aut synocho, aut alio periculoso morbo affectū,non esse vllo modo venæ sectione in aniendū.Galen,namque ætates integram& pro morbi ratione vacuationē prohibere affirmat.1.ad Glau.in hunc modum, AEtas annumeranda est veluti accidēs quoddā quod prohibēdi integram vacuationē vim habet, neque enim pueri neque senes hanc sine noxa tolerant, Et vt omittam plura Galeni testimonia quæ hanc sententiam confirmant, illud tamen apertissimis verbis demonstrat lib.de sanguinis missione c.14.in hunc modum.Proindè(inquit) minus detrahimus quàm plenitudo commonet, per ætates quidē in pueris.

§.105 Qua ratione cum Gal.in lib.de sangui.miss.c.13.inquit,pueris non esse sanguinem mittendum vsque in decimumquartum annum',intelligendū non est prorsus pueritiam venæ sectionem vetare,sed solū eam quæ affectui conueniret,si morbus florentem ætatem inuaderet,eaque ratione fit , vt quanto puer tenerior fuerit,tanto magis venæ sectionem vetat,adeò vt omnino exercenda non sit,vbi recens natus sit:id quod Gal.lib.de sectis.c.3.docuit dicēs. Sin imbecilla virtus,ætasque,aut pueri admodum parui,aut senis in senium longè prouecti,nemo est qui venam incidere audeat.

§.106. Sed quia posset aliquis Galenū adducere.1.de arte curat.ad Glau.c.de curatione febrium cum accidentibus ,dicentem,in pueritia supplendam esse venæ sectionē,balneis,frictionibus ,inedijs moderatis,clysteribus mollibus,humectationibus & cataplasmatis,respōdebimus sanè,Galenū voluisse hæc omnia auxilia sæpè in multis morbis vicē venæ sectionis habere,adeò vt solis clysterijs,ac moderatis inedijs febres multæ puerorū tollātur: præcipuè si tener ac recēs natus sit,& morbus maximū ac celerrimū non adferat periculū.Nam in eiusmodi periculosissimis morbis venā secare pueris Gal. non vetuit, sed quantitatem affectui necessariam supplendam esse dixit,inedia,frictione & reliquis auxilijs.

Atque hac in re non parũ prudentẽ exercitatũque medicũ esse oportet, qui morbi violentiam & vacuationis mensuram, ac denique quantum ætatis ratione detrahendum sit, metiri cognoscat: quod nec dici nec scribi potest, sed longo vsu multaque obseruatione acquirendum. §.107.

Quod tamen ego facere consueui, vbi puerorum morbos curaturus accedo, dicere in præsenti animaduersione non grauabor. Primum quidẽ si ablactatus nondum est, & cibum non expertus, ferè semper matris optima victus ratione contentus, sanguinis missionem prætermitto: curans interim si fieri potest, vt aliqua lactis portio puero detrahatur, & vt lac temperatius creetur regeneretur ue. Aquã præterea hordei bibendam offero, tum puero, tùm matri vel nutrici. §.108.

Quòd si ex matris vitioso sanguine suspicio est puerũ laborare, alterũ duorũ faciendum est: vel enim lac immutandum est, lactansque alia eligenda, vel si id fieri nequit, saltim venæ sectione & purgatione lac corrigendũ est, nec non cõgrua pro ratione putridinis alteratione, ac si ipsa mater, vel nutrix actu ęgrotaret, curandum. Purũ enim redditur lac per expurgationẽ matris, & aliquando puero purgationis est causa, vt ex Hippo. dicimus. 6. epi. com. 5. text. 35 Mulier (dicente) capraue, elateriũ aut cucumerẽ siluaticum edentes, pueris purgatio. Quare in purgãtibus medicamentis matri offerendis id animaduertas, ne aut magna mole, aut valida vi prædita sint medicamenta ex purgantia, ne puero tenello immodica quoque purgatio succedat. §.109.

Id quoque consideres velim, si quando forte fortuna, puerum capra lactare cogaris, vt alimoniam congruã præparare iubeas, & magna cura ac diligentia caprã per pascua ducas, ne forsan inter herbas titimalũ aut aliã purgatoriam plantam offendat, quæ puero detrimentũ inducat. Nam etsi ex actione caloris ipsius nutricis purgantium vis non nihil refrangatur, remanet tamen pro medicamenti assumpti ratione vis in lacte purgatrix, in vehementiori vehemens, in debiliori debilis, semper: tamen debilior, quam priùs, vel nutrici, vel capræ, vis medicamenti offertur. §.110.

Et ob prædictã suspicionẽ ego semper consulo, domi caprã nutrire, hordeo, lactucis, borragine, & eiusmodi herbis, aut plantis nobis cognitis, vt prædicta incommoda fugiamus. Qua in re prudens medicus pro ratione ægritudinis puerũ infestantis poterit eas herbas aut plantas eligere ad nutriendã capram, quæ morbo opportunæ sibi videbuntur. §.111.

At quia morsus hominis letalis & venenosus est, ego semper infantibus interdico ciborũ masticationẽ à ieiunis nutricibus, donec vis illa dentiũ deleteria, ciborum permixtione obtundatur: id quod menstruatæ mulieres etiam cauere debent. §.112.

Somnũm præterea motionibus vlnarum & lectuli conciliare simul & cantilenis, pręcipit Gal. 1. de sanitate tuenda, cuius maximam esse efficaciam pro pueris curãdis satis superque, in superioribus. c. 2. cum de somno egimus, mõstrauimus, vbi illud præcipue animaduertimus, somnum qui alijs ætatibus noxius est, pueris vel vnicũ esse præsidium: cum per illum multi puerorum morbi insensili euacuatione dissipentur. §.113.

Quod si quando dolorem lateris ex difficili respiratione, tussicula, & febre pueris accidere suspiceris, aut anginam ex deglutiendi aut respirandi magno labore, aut variolas ex proprijs signis, & ex populariter grassante epide- §.114.

mia, nisi admodum debilis infans fuerit, scarificationem leuem iniungimus, modò in cruribus, modò in brachijs: de quo auxilio plura hoc capite diximus, animaduersione trigesima secunda.

§.115. Quòd si puer trium annorũ, aut quatuor sit, musculosus & vorax, regione, & tempore ne admodum frigidis, aut calidis, poteris non tantùm scarificare, sed & venam pertundere, vt & nos aliquando exercuimus, Auenzuarum imitãtes, qui puerum suũ trium annorũ phlebotomauit, (vt Auerrois verbis vtar.)

§.116. Sed id semper obseruauimus, vt quo plus in ætate progreditur puer, & musculosus fuerit, eo audaciùs mittimus sanguinẽ infrà sẽper subsistẽtes, ob insitã puerorum euacuationem. Id quod Galenus bellè docuit. 4. acutorum. 19. in hunc modum: Pueri verò etsi vitali robore sint præditi: tamen neque venæ sectionem sustinent: promptè enim eorum substantia euaporatur.

§.117. Et licet multa sint præsidia in arte medica, leuia quidem, & quæ venæ sectionem, & purgationem supplere possunt, vt sunt frictiones, balnea, cataplasmata, inunctiones, & humectationes: nihilominus inter hæc leuia auxilia, ea eligẽda primùm sunt in curandis pueris, quæ securè multitudinem euacuent, vt scilicèt, inedia moderata (quæ ex accidenti euacuat) iniungenda sit, & mollia clysteria adhibenda. Inunctiones verò ventri tantùm molliendo, & gratia coctionis firmandæ applicandæ sunt; & humectationibus per cibum, & potum audacissimè ab initio ad finem vtendum, potum largiorẽ offerendo, hordeaceũ, & ptisanam colatam: hac enim copiosa humectatione, citiùs puerorũ febres tolluntur. Id quod Hippo. docuit. 1. aphor. illo: Victus humidus febricitãtibus omnibus confert, maximè verò pueris, &c. Nam præterquã, quòd hic victus ætati congruit ob humiditatem: resolutio tamen quę caloris febrilis vi infertur, iugem, ac continuam irrorationem exposcit: frictiones verò & balnea, in declinatione sine metu adhiberi possunt.

§.118. At vbi infantes pueriuè copiam crudorum humorum in ventre, & intestinis aceruant, à quibus aluus supprimittur, & propterea, & dolent, & conflictãtur, consultum est apud me huiusmodi cataplasmate vti, ventri imposito, cuius virtus in deijcienda aluo nunquam frustrà visa est, habet vim indicibilem quandam proprietatem pro angustia puerorũ submouenda, contracta quidẽ ex excrementorum retentione. Accipe poma acidatria, bene assa, & misce cum illis dialteæ, & butyri baccini ana. ℥ ij, & calida vẽtri impone bis in die, & res prosperè succedet.

§.119. Sed iam tempestiuũ est ætatem similem animaduertere, quæ non numero annorũ metiri debet, sed penes viriũ debilitatem: senũ namq; ætas, authore Gal. lib. de sanguinis mis. c. 9. sub viriũ verbo comprehendi debet, nulli enim, qui ea ætate est, robur inest: & propterea sexagenarius, validus si fuerit, rectè venæ sectionẽ admittet, iuxta Celsi sentẽtiam, lib. 2. c. 10. dicentis: Firmus, puer, validus senex, & grauida mulier valens tutò curantur.

§ 120. Id tamen in senibus animaduertere oportet, sæpè pulsus in ipsis apparere validos, flatu plenos, phantasiam virium præ se ferentes, qui tamẽ vnica eaq; mediocri sanguinis vacuatione, celerrimè concidunt.

Quapropter vt rectè, & sine periculo vacuationẽ sanguinis in senibus tẽtare
§.121. possis, animales actiones eorum attendere oportet, quæ si validæ fuerint, & optimo victu fuerit nutritus senex, & carniũ soliditate præditus, vacuationibus assuetusq;, proculdubio (morbo exposcente) sanguinẽ mittes, minuens quãtitatem

tatem vacuationis, tũ propter corporis duritiam, tùm etiam propter caloris innati debilitatem ac paupertatem nequeuntis morbificas causas facilè euincere.

Quapropter optimos quosque medicos videas senũ morbis mederi, & roborantibus medicamentis & vacuationibus leuibus. Id tamen quod sæpius animaduertimus in senibus & alijs plurimis, ante oculos semper habendum existimo, videbis enim in naturali dispositione plurimorum pulsus intercidentes inæqualesque habere motiones, quas cum primùm febre corripiuntur, amittunt: easque rursus recuperant, quamprimum à febre vindicantur. Cuius euetus causam hanc esse censeo, quia caloris vrgentia & vsus adauctus febris ratione, non permittit naturam quiescere, quantumuis onustam & grauatam: deposita tamen plenitudine per sanguinis missionem, & febrili calore remisso, intermittit rursus natura. Quia etsi leuiori onere sit oppressa, tamẽ non excitatur vrgeturque ab intenso calore febris, & propterea intermittit cessatque à suo motu aliquando. Sed hos pulsus potiùs intercadentes, aut intercurrentes, aut intercidentes dixeris, quàm intermittentes. §. 122.

Sed id quod Hippo. 1. de morbis scribit, fol. 152. non caret consultatione, inquit enim loquens de venæ sectione: Nam vena secta, & quantum in ipsa inest bilis & pituitæ, & ipsius sanguinis ægrotantis vnà cùm his magnam partẽ foras dimittit. Ex quibus verbis non immeritò elicies, sanguinis missionem, non solum gratia vacuandi sanguinem exercendam esse, sed etiam gratia pituitam & bilem vacuandi: omnes enim promiscuè vacuant humores. §. 123.

Circumspecti medici esse aduertit Celsus cap. de febre lenta, interdum nouare & augere febrem, quia vbi id quod est, curationem non recipit, potest recipere id quod futurum est: id quod nos sæpius exercuimus Celsi authoritate persuasi: quod ab Hippocrate mutuauit, lib. de locis in homine, tex. 123. in cuius explicatione nos ibi plura diximus.

Illud etiam sæpè fieri conspeximus in prauis febribus & mortalibus, ægrũ sine febre, vel cũ admodum exigua, per febris discursum nobis apparere, & paulò post exacerbari & mori, duplici ratione: & quia alleuiatio facta non fuit secũdum rationem, & quia multum defatigata natura cessat à pugna: & humoribus quietis, & minimè agitatis videtur febris cessare. §. 124.

Sed quæ sit ratio, ob quam omnes practici præcipiant, mox à sanguinis missione dormiendum non esse, iam dicam, omissa Auicennæ sententia, & Fernelij opinione lib. 2. de venæ sect. c. 16. In febribus enim semper studemus sanguinem reuellere à visceribus, & omnibus membris præcipuis, & quia hæc reuulsio continuatur per vigiliam, per somnum verò sistitur, ideò statim à sanguinis missione dormiendum nõ est, sed per duas horas vigilandũ: quod tempus satis est ad prædictam continuationem. §. 125.

Secus autem suadendum est, vbi venæ sectio instituitur ob aliquem exteriorem affectum, in quem nimia sanguinis quantitas confluat, tunc enim somnus permittendus est, vt à parte affecta magis recedat sanguis.

CAPVT. V.

In quo detergentia, deobstruentia, rarefacientia, aperientia, inscinaëtia, & purgantia medicamenta pro febribus putridis curandis considerantur.

§. 1. 
LVENTIVM humorum impetum vacuatione compesci diximus initio superioris capitis: quia verò vacuatio duplex est, venæ sectio nempe, & purgatio, à sanguinis missione curationem putridarum auspicari tradidimus: cùm quia tutissimũ est auxilium, tùm etiam quia purgatio magnum expostulat apparatum abstersionis humorum, & viarũ apertionis: quæ omnia (ad hoc vt rectè purgatio succedat) præmitti debent.

§. 2. Quapropter illud attendãt Valentini medici non rectè facere, dum fluxum obstruentium humorum, prolixa solaque sanguinis missione compescunt, nõ animaduertentes, eiusmodi fluxum, etiam purgatione tempestiua compesci debere: est enim purgatio (quemadmodum & sanguinis missio) reuulsorium remedium, Gal. teste 4. metho. c. 6. sic dicente: Desiderant enim ægri purgationem, non modo vt quod noxium superuacuumque quo vrgentur, educat: sed etiã vt quòd tùm ad diuersum trahat, tùm vacuet.

Sed nunc institutum percurramus, & vires prædictorum medicamentorum animaduertamus hoc capite, initio sumpto à medicamentis abstergentibus.

§. 3. Abstergere ergò nihil aliud est, quàm loca aliqua oppleta à sordibus expurgare: id quod in febribus putridis exercendum esse Gal. suasit. 11. metho. c. 10 ijs medicamentis quæ vim habeãt exiccandi cum tenuitate substantiæ, quæ neque caliditatem aut frigiditatem intensam habere debent: caliditatem quidem quia fluxionis impetus adaugetur, frigiditatem autem, quia maior fiet obstructio meatuum.

§. 4. Quapropter non abs re faciunt, qui frigida sicca medicamẽta simul cum calidis & tenuibus miscent, vt in febribus putridis infartos meatus abstergant. Nam ex hordei decocto, & succo limonum, aut succo acetosæ, aut aceto (quæ frigida & sicca sunt) saccharo aut melli mixtis, pro abstergendis putridis humoribus optimum medicamentum paratur.

§. 5. Abstergunt etiam putridos humores viscidosq; quæ aquea liquidaque sunt: præcipuè si dulcedine participent: cui vsui opportunum est hydromel hordeaceum, & oximel: cuius tanta est in febribus putridis vtilitas, vt ipsum solum putredini resistat, crassitudinem attenuet, & ad cutem penetrans, lentorem humorum extergat, minimeque febrem accendere videatur, vt alia multa quæ sine periculò in febribus propinari non possunt, Gal. authore octauo methodi, capite quarto.

§. 6. Qua in re illud non inmeritò attendere iubet Augerius suis in practicis animaduersionibus, quòd licet vis hæc detergendi & aperiendi in multis herbis, radicibus, & seminibus reperiatur (vt in radicibus graminis, rusci, sparagi,

herbis

herbis capilaribus, intibi generibus, seminibus frigidis maioribus) non tamen ea virtus ad aperiendas cutis obstructiones peculiaris est, sed visceribus & meatibus vrinarijs deobstruendis propria.

Quapropter illud consulat Medicus practicus, nusquàm veteres Medicos eiusmodi medicamentis pro curandis febribus putridis vsos fuisse, nisi forsan viscera obstructa simul cum febre esse viderentur: sed solùm vtuntur mulsa, apomellite, & oximellite: Nam hæc medicamenta, nó solum euidenti qualitate, sed etiam familiaritate naturæ quam habent cum humani corporis substantia (sunt enim alimenta vel alimentis proxima) ad externas quasque particulas, naturæ quodam amplexu successiue deferuntur. Accedit, quòd mellis & aceti ratione per corpus promptissime deferuntur, & suauiter à natura amplectuntur: quo fit vt infartos humores cutis meatibus abstergant, à sordibusque expurgent. §.7.

Prædicta porrò medicamenta, radices inquam, herbæ & semina diuretica, quia præcipuè vrinas mouent, intempestiuè in principio augmētoue febris ab aliquibus exhibentur, cùm tamen nisi concocta materia, vel inclinante iā morbo, diuretica administrari debeant. §.8.

Sed hoc loco non possum non Salmanticenses Medicos (à quibus apozematum vsus emanauit) laudare, qui eiusmodi decoctis seu apozematis maxima cum ægrorum vtilitate, concocto inclinanteque morbo vtebantur: præcipuè si (vt diximus) viscus aliquod obstructum esse deprehendebatur. §.9.

Et licet oximelliti radendi intestina & tussis mouendæ nocumentum tribuatur, nihilominus, quia aceti quantitatem subtrahere possumus, aquam & mel addentes, ideo non verendus est eius vsus hac ratione. Sed oximellitis vires recte Tralianus scripsit libro 12. c. 1. in fine, in hunc modum: Nam in frigidioribus naturis & temperamētis, & ijs quibus materia pituitosior est, & humidior, in his id quod à diuinissimo Galeno dicitur, verissimum existit, nempe quod oximeli tùm abstergit generosè, tùm febres non exacuit: in naturis autem biliosioribus, & magis melācholicis rarissimè exhibendum. §.10.

Hydrosacchari porrò vim mediā esse inter mulsam & oximel, dicit Gal. 8. metho. c. 4. quo nihil potest esse vtilius, vbi mulsa vti non licet, aut vbi oximellitis vsus suspectus fuerit. §.11.

Apertio & rarefactio multum inter se differunt: rarefacere enim est superficiem corporis magis solutam reddere, vt fuligines per ipsius meatus difflare commodè possint: id quod in febribus putridis exoptādum maximè est, in quibus totius corporis ventilationem maximè desideramus. Præstatur id molli frictione adhibita, & cutem oleo camemelino, aut alio quouis moderati caloris oleo relaxante illiniendo. §.12.

Porrò tanti æstimant nostrates medici hodierna die meatuū cutis apertionem rarefactionemque, vt totam suam operam in hoc faciendo impendant, pannis contectos vndique ægrotos seruantes, ne ab externo ambiēte pori meatusue claudantur: idque præcipuè hyberno tempore, & in his maximè febribus, quas maligna quædam putredo excitat, quales sunt quę hodie lenticulares seu puliculares appellantur. In ijs enim quia natura expellere nititur, venenosam partim, malignamque materiam, frictionibus cutis maximè studēt medici: atque iuxta Aetij decretum, cutem ipsam oleo camemeli, & nitro vngen §.13.

tes,cucurbitulasque apponentes,faciunt,vt corpus liberè à maligna putredine difflari posit.

§.14. In quibus febribus curandis id maximè animaduertendum censeo,quòd licet detergentia deobstruentiaque medicamenta febribus omnibus putridis (è quorum numero malignæ sunt) obstructionis ratione conuenire videantur,nihilominus putredinis ratione longè aliter faciendum est in febribus malignis. In ijs enim quia pessima multaque est putrefactio,totis viribus enitendum, vt ipsam(ijs medicamentis quæ malignæ putredini resistant) remoueamus, qualia sunt quæ cum aliqua adstrictione multum exiccat, vt sunt rosæ,santali,terra sigillata,terra Lenia, bolus Armenus,mala granata acida,mala citonia:omnia enim hæc,quia summopere exiccāt,habentque coniunctam quamdam adstrictionem,quæ multum conducit ad apertionem & penetrationem,vt interna putredo remoueatur,ideò multum vtilia sunt in his febribus malignis.

§.15. Nam de his medicamentis quæ multam habent adstrictionē cum pauca siccitate,aut quæ æqualem habent adstrictionem & siccitatem,non loquimur in præsenti : cùm hæc augere obstructiones & humores impingere possint. Reliqua verò quæ multum sicca sunt cum exigua adstrictione,non solum putredinem inhibent,sed etiam obstructiones aperiunt:qua ratione nō immeritô Ioānes Baptista Montanus,libro de characteribus febrium,aquam ferratam pro potu in malignis febribus miris laudibus extollit:& Gal.9. de simp.med. fac. c. de terra. bolum Armenum omnibus qui illa sui temporis magna peste laborarunt,summoperé conferre dixit:& 1. de differ. feb.c.4. in hunc modum scribit:Summa curationis eorum qui illa peste laborabant , hæc erat : Statim ab initio quæcumque corpora humida videbamus , omni via exiccare conabamur:quæ verò sicciora,in ijs antiquum statum seruabamus:at in quibus superfluitates redundabant,hæc purgationibus sanabamus:obstructiones autē foraminum abstergere atque aperire studebamus. Ex quibus liquet,quanti æstimat Gal.corporum exiccationem, necnon humorum redundantium expurgationem,non semel,sed iterum atque iterum exercendam,quādo loco citato, purgationibus,plurali numero,non purgatione,in singulari vtitur.

§.16. Sed quomodò purgatio exercenda sit in his febribus malignis, satis superque diximus nostro in librum Hippocratis de locis hominis commētario tex. 99.vbi id animaduertimus,cauendum esse in malignis pestilentibusque febribus purum pharmacum offerre,sed illud sorbitionibus admiscere,ob rationes eo loco adductas,& quia Hippo.lib.de alimēto,in cibo optimum esse dixit medicamentum: quapropter legentes ad illum locum referendi sunt, aut ad Brudum Lusitanum lib. 3. de victus ratione in febribus , à quo animaduersionem hanc expurgandi mutuauimus:sed iam ad ea quæ instituimus reuertamur.

§.17. Aperire verò est,ad profunditatem meatuum penetrare, obstruētesque humores attenuare:verùm quoniam quæ hoc faciunt medicamenta,plurima,calida sunt,metus est,ne tùm putredinem,tùm febrem augeant : ideò ijs quæ citra calorem liberare obstructiones valeant,vtemur,qualia sunt quæ in vsu habemus ex aceto,& saccharo condita,aut ex succo limonum,aut cicoreæ,& saccharo composita.

§.18. Inscindētia porrò medicamenta,quia diuidere & penetrare debent humores,admodum calida esse oportet:quæ quia hac ratione calorem febrilem augere sunt nata,miscenda sunt quibusdam frigidis medicamentis, & eis in febribus

bribus vtendum, quæ ex crassis, putrefactisque humoribus oriuntur, vt sunt pituita, & succus melancholicus, in quibus decoctum paratur admodum vtile ex aniso, caruo, fœniculo, seselco, casia odorata, gingibere, pipere, omnibus, aut aliquibus ex ijs, cum hordeo & passulis, & radicibus iringi, & cicoreæ, asparagi, & conseruis cordialibus mixtis. Id quod præcipuè faciendum est, vbi multitudinem prius vacuaueris, tunc enim infarti humores meatibus cutis facilius abstergentur.

Cûm ergo humores eiusmodi medicamentis præparaueris, expulsionique faciles feceris, ad expurgationem confugies, ea medicamenta purgantia eligens, quæ tibi opportuna pro ratione causæ febrem facientis videbuntur. Quorum copia multa est in vsu, & nostris his temporibus benignissima plura reperiuntur non paruipendenda. Sed quia in vsu expurgantium medicamentorum tempestiuo, varij varia senserunt, prout cuique bene, vel malè res cessit, non piget, ea quæ nos prolixa animaduersione circa Hippoc. & Galenum considerauimus, in medium proferre. §. 19.

Atque id in primis consideremus, non placuisse Galeno frequêtes in febribus purgationes. Nam. 8. methodi. c. 1. & per totum librum, tradens integram & particularem febrium omnium curationem, de purgatione neque verbum protulit: cùm tamen multa particularia auxilia scribat pro earum curatione. Quod si dicas, illum vndecimo methodi in illa resolutiua (non satis laudata) methodo, putridum humorem vacuatione esse propulsandum, statim subdit, eligenda esse vacuantia medicamenta, quæ sine calore educant, vt sunt mulsa, ptisana, & clyster. (Vt vel hinc discas, quanto cum timore, & animaduersione purgationem exerceat.) Idem præterea Gale. lib. ad Glauconem etiam in continuarum curatione, purgantium medicamentorum non meminit. In tertiana verò præstare ait medicamenta alterantia, quàm quomodolibet vacuare. §. 20.

In pituitosis autem febribus, quæ intermittunt, leuia tantùm medicamenta purgantia, eaque per interualla admittit: quem sequutus Trallianus magnæ authoritatis vir. lib. 12. cap. 7. de eiusmodi purgatione in febribus sic scripsit: Nó oportet autem ipsos vniuersè purgare, sed per vices, & simplicioribus medicamentis, &c. Hippoc. verò. 1. aphor. 23. purgantia acutè ægrotantibus non concedit, & lib. de medicamento expurganti purgationem magno cum timore admittit. &. 2. apho. 29. id reliquit arbitrio medici docti, & in scientia, arteque benè exercitati: qui quidem medicamenta expurgantia non propinabit, nisi humor turgeat, aut corpus purgationi sit præparatũ, aut nisi maior sequatur vtilitas ex vacuatione, quã noxa ex calore, aut quando tanta est cacochimiæ illuuies, vt necessarium sit minorem facere materiam, vt natura faciliùs quod restat vincat. At verò quia rarissimum est, vt hæ conditiones reperiantur, ideò rarò purgationem exercet. §. 21.

Neque semper licet in materia turgente euacuare, Gal. authore. 1. aphor. 24. nam si æger idoneè non se habet ad purgationem, aut in visceribus inflammationem habeat, aut ilia inflentur, aut supra modum sint calida, proculdubio etiam si materia turgeat, non purgabimus. §. 22.

Quapropter Thomas à Veiga Lusitanus lib. artis medicinalis rectè colligit, leuius cautiusque in febribus omnibus, tam intermittentibus, quàm continuis purgandum esse, quam in morbo non febrili: nam calidissimorum viscerum (cordis. s. & hepatis) feruor, & calor ex motu humorum cõtractus, & deleteria §. 23.

medi-

medicamentorum qualitas principalia membra afficiens, in causa sunt, vt in febribus magno cum timore purgemus, in morbo verò non febrili audacter vacuemus: id quod Hippo. lib. de articulis in fine clarissimis verbis ostendit. Atque adeò verū est, vt Auic. 1. 3. c. 22. de soda. auserit pronuntiare, etiam in morbis immaterialibus conferre purgationes, ne humor ad partem dolentem confluat. Et vt summatim dicā, febres vniuersas alui deiectione persanare aggredi, perniciosissimū esse existimo. Paucæ enim sunt febres, in quibus ventris excretionem procurat natura, morbum iudicatura. Nam lōgiores febres per coctionem, aut abscessum finit, & vbi coctio adest, vrinarum effusiones sæpius procurat natura, quam sudorem aut fluxum ventris, vt. 3. prog. & 3. de crisi patet. Porrò acutas febres (vt sunt ardentes exquisitæ) rarò iudicat natura per fluxum ventris: nam tenues humiditates quas venulæ arefactæ tempore æstiuo ad se attrahunt, aptius sudore & fluxu sanguinis narium vacuantur, quàm fluxu ventris, Hippocrate authore lib. coacæ prænotiones, dicente: In febre ardente valde soluta aluus, lethale.

§. 24. Et licet supra capite de symptomatibus monuerimus fluxum sanguinis narium in febribus acutis paruam vtilitatem afferre: quia rarò accidit, vt se solo morbum iudicet, nisi accedente copioso sudore, nihilominus negari non potest, tenues illas humiditates febrium ardentium ex quisitarū soboles, aptius fluxu sanguinis narium vacuari (præcipue si sudor simul oboriatur, qui iudicationem perficiat) quam fluxu ventris.

§. 25. Sæpissimè tamen animaduertimus in ijs in quibus febris ardentis materia in ventre, aut in concaua hepatis parte sedem habet, fluxum ventris superuenire salutarem, præcipuè si febris vehemens est, & morosus humorū intro inclinat: nam quia eo tempore aluus mordetur, & bili ósa deijcit, ideò morbi cōferentia atque alleuiatio sequitur.

§. 26. Id quod senibus febre acuta laborantibus etiam accidere videbis, hi enim ob dēsitatē habitus, & ob virtutis in firmitatē rarius sudoribus aut hæmorrhagiā iudicātur, sed fluxu ventris sæpissimè persanantur, precipuè si cum signis coctionis eiusmodi vacuatio contigat, & tolerantia ac conferentia sequatur. Estque hoc adeò verū in senibus, vt multoties animaduertas medicos (vbi senes lue Venerea laborant) maximo ingenio, & efficacissimis medicamentis sudorem procurare: & tamen ob habitus densitatem sudoribus non liberantur, sed attenuata materia morbifica per aluum à natura expellitur.

§. 27. Vt ergo ad pensum redeamus, si natura (quam medicus rectè operantem imitari debet) raro in febribus ventris excretionem procurat, raro quoque nos purgante pharmaco ventrem in febribus irritabimus, atque eo maximè tempore id exercebimus, vbi concocti fuerint succi febrium authores, & vbi quieti fuerint, & febris lāguescere cœperit, præcipuè si natura segnior in expellendo fuerit, tunc enim secundùm humoris exigentiam, medicus purgationē exercet. Illud semper ante oculos habēs quod Hipp. 2. prædict. scribit: Excretio, inquit, quæ ante coctionem est, nunquam prodest. Nam vt inquit. 4. acutorū, Si moueris, crudus morbus permanebit: atque ea potissimū est ratio propter quam Gal. 4. de tuenda valetudine præcipit à motionibus omnis generis abstinendum esse, vbi coctiones desideramus.

Purgatio igitur quia magnum (vt diximus) viarum apparatum & magnam humorum præparationem exposcit, no semel aut bis, sed sæpissime præcipit Hippo. in principijs febrium non esse purgandum, atque id pluribus in locis, sed præcipuè. 5. epi. aperta & non satis laudata sententia in hunc modum scribens: Purgare ventrem oportet in morbis, cùm iam concocti fuerint, & videris iam firmatos humores. Signum autem est, si non fuerint fastidiosi, aut capite grauati, aut cum calor mitior fuerit. Id quod libello de medicamento expurganti aliter dixit, eo videlicet tempore purgandum esse in febribus, vel cum inclinant, vel cum decimaquarta dies fuerit transacta. §. 27. §. 28.

Quia verò multi ob timiditatem purgari recusant, decipiendi sunt medicamentis ab Aetio traditis lib. 1. serm. 3. per totum sermonem.

Sed hoc loco nō possunt castigationē fugere quidā nostri temporis medici, qui non animaduertentes ea quæ Hippoc. libel. de medicamento expurganti, & lib. de vsu veratri, & quæ Gal. lib. quos & quando, scripserunt, tam prauè tamque sinistrè purgantibus medicamentis vtuntur, vt non vereantur perpetuo corpus ante venæ sectionem expurgare minoratiuo (vt illi dicunt) mox sanguinem mittere, post iterum expurgare, atque iterum sanguinem mittere in omnibus sine discrimine febribus & morbis. Inter quos quidam ex nostris, tam enixè tamque obstinatè illud obseruat, vt nulla alia arte aut methodo morbos solui posse credat. §. 29.

Alter verò magna cum authoritate præcipit sic. Principium prandij sint bucellæ pulpæ casiæ fistulæ, aut pruna folijs senæ confecta. Quasi verò melopepone optimo aut cerasijs acidis gustui gratissimis vti praeciperet: sed hos propter venerandos canos conticere placuit, illorum tamen errores detegere non erubui, ne de cætero errandi occasionem præbeant: sed iam castigationem audi. Sanguinis missionem præponi semper debere, deinde purgationem moliri (vbi vtrũque desideratur auxilium) tam est ab Hipp. & Gal. proclamatum. 1. epi. com. 1. & 4. acutorum & lib. de renum affectus dignotione, vt frustra sit eorum rationes proponere. Nam regulari methodo faciendo in febribus putridis fluxum obstruentium humorum compescere debemus, deinde ad deobstruendum purgandumque id quod sanginis missione vacuari non potuit, accedendum. §. 30.

Quia verò cogimur aliquando ordinem inuertere, & purgatione vti in principijs febrium, ideò inualuit eius vsus apud multos, vt quolibet morbi tempore sine discrimine, hoc remedio vtantur. §. 31.

Quod vitium inde profectum est, quòd nesciunt, succos è venis penitioribus emanantes discernere, ab humoribus, qui peculiari ac proprio ventriculi vitio, aut primarum venarum in his colliguntur. Nam quando ventriculus à praua venarum cacochimia vitium contrahit, quis sanæ mentis medicus à medicamento ex purganti curationem auspicabitur? cùm maior & copiosior fluxus in ventriculum (per attractionem medicamenti) concitetur. At si sua ipsius ratione ventriculus (ob ingluuiem, aut ob sui debilitatem) copiam cruditatum generet, vitiumque contraxerit, tunc optimè faciet medicus, si à medicamento blande aluum ex purgante curationem fuerit auspicatus: nam præterquam quod res prospere cedet, tempestiua sanguinis mittendi occasio se offert. Sed id semper & sine hoc discrimine exercere, sicut alienum à ratione est, ita & à vera methodo. §. 32.

Neque

§.32. Neque magis consentaneum rationi videtur, quòd venerandus ille senex præcipit, in prima nempè mensa, casiæ pulpa, aut prunis sen confectis vti: verendum enim est, nè qui medicamento colligitur vitiosus succus, alimēto permisceatur, permixtusque venas vitioso repleat succo. Quapropter mane præbenda esse arbitror, & supere poto iure pulli leuiter cocti, vires taliū medicamētorum promptius experiuntur, & vitiosi humores cum alimento non permiscentur, quod maximè verendum est.

§.33. Id verò pro purgationibus exercendis in febribus, maximè consulere debet medicus, surgendi frequentiam in debilibus sæpius mortis causam extitisse, eaque ratione Auerrous.c. proprio de tertiana, tertianarios purgare timet, vt optimè Thomas à Veiga lib. de diff. febr. animaduertit. Quapropter ego (dum occasio purgandi debile infirmum se offert) in lecto ventrem exonerare suadeo, vase aliquo (prædicto vsui accomodato) supposito, aut syndone plicata supposita, quo nec syncopim, nec mortem timeo, id quod Gal. 3. de crisibus. c. 9. expressis verbis animaduertit. At in his qui virium robore præditi sunt, surgendi frequentia non mortem (vt in debilibus) inducit, sed febrē diariam generat, vt nos initio capitis tertij animaduertimus.

§.34. At verò quia sunt peculiares quædam hominum naturæ & conditiones, tam malè se ad purgationem habentes, vt quolibet sumpto pharmaco anxietatibus multis & superpurgationibus capiantur, consultū est apud me simul cū pharmaco expurgāti (siue sit in forma solida siue liquida) grana quindecim plus minusuè pulueris diamargaritonis frigidi miscere, quo superfluā purgationem vitamus, facilemque & sine molestia purgationē molimur, cohibet enim, & quasi fræno retinet eiusmodi pulueris quantitas, effrænem medicamēti ex purgantis vim. Id quod ex Galeno mutuauimus. 2. de victus ratione in acutis tex. 22. sic dicente. Et vt stomachi os in purgationibus illæsum maneat, consulere oportet febrientibus, vt medicamentum purum non bibant, sed cū aliis quæ malitiam ipsius hebetare nata sunt, temperatum mixtumque: ita vt seminū aliqua quæ boni sint odoris misceantur, vt & malitiam obtundant, & operationem medicamentorum non prohibeant.

§.35. Post factam purgationem altero die summo mane solet practicantium omnium schola (sine discrimine aut examinè) saccharum rosatū cum aqua stillatitia cicoreę, aut buglosę præbere actu frigidis. Cuius facti qui rationē nō probe perpenderit, proculdubio à vera methodo discedet. Duplici enim ratione post purgationem completam saccharum rosatum propinari potest, vna quidem vt humores vitiosi in ventriculo derelicti eluantur, & simul cum saccharo rosato ad intestina descendant. Quo casu manè ieiunio ventriculo cū aqua calida præbendum esse Rasius suadet tract. 3. continentis. c. 27. sed meo iudicio hac ratione non propinatur post expurgationem altero die: cum ipso purgationis die per assumptum ius pullæ coctæ ante prandium satis superque à vitiosis succis ventriculus eluatur.

§.3. Reliquum ergo est, vt altera ratione exhibendum sit (nempe) vt calor siccitasque vi medicamenti expurgantis facta, attemperetur, & sitis (quæ post purgationes remanere debet) compescatur. Sed neque hac ratione propinari quidem debet, cum si Rasio credendum est loco citato, hi qui calorem aut ardorem patiuntur, illud comedere nullo modo debent, & maximè si æstas fuerit, calefacit enim & sitim affert: id quod experientia docet. Vt ergo hæc duo incommoda

commoda

commoda fugiamus, consultum est apud me saccharo rosato non vti, sed saccharo albissimo cum aqua hordei, quibus & ventriculus (si quid restat elutione dignum) eluetur, & calor siccitasque attemperabitur, & sitis nonnihil compescetur.

Quia verò ex assumpto pharmaco (præsertim si venefica qualitate sit prædi tum) intestina dolore & tormine aliquando prehenduntur, rectè faciunt medici, si pharmaci acrimoniam lauatiuo clysteri obtundant: quod ex hordei decocto & saccharo paratur, vitellum oui aliquando addentes, aliquando & oleum rosatum. §.54.

CAPVT. VI.

In quo ea medicamenta quæ aluum mouent, & quæ vrinas prouocant, & quæ sudorem eliciunt, considerantur.



OST prædictas euacuationes quæ vniuersum corpus euacuant, quæ restant superfluitates per aluum, vrinas, sudoremque expellendæ sunt. Cùm verò materiæ quæ hoc efficiunt, calidæ etiam sint, necesse est interea tùm putredinem augeri, tum febrem. Quare quoad licet, id agendum, vt quæ minus calfaciat materia deligatur, aut si qua inueniri potest, quæ non calfaciat (quemadmodum balneum in hoc casu) vtique ea est, petēda ex Gal. authore. 11. metho. cap. 10. §.1.

Per aluū igitur euacuātur superfluitates clysteribus, vel mollibus, vel acribus, pro humorum conditione. Qua in re illud praxim exercentes animaduertant, quòd vbi in febribus venam secare studemus, ante venæ sectionem aluū mollire curamus, ne venæ inanitæ crudam illam ac fæculentam substantiam ad se trahant, ex qua maior putrefactio concitetur. Quod etsi maximè consonum rationi sit, experientia tamen nos docet, non semper id esse faciendum, quinimo nos contrarium facientes maximam vtilitatem ægrotantibus aliquādo attulimus: nam præterquam quod facta venæ sectione, & deinde secuto clysteri, sæpè sequitur copiosa vacuatio per aluum, quæ multum conducit ad salutem ægrotantium, humoribus, nimirum agitatione sanguinis secretis, quos natura reddita fortiore) ita excernere parat, vt à quouis attrahente (etsi leui) expurgentur. Nihilominus tamen continget tibi, vt ægrotātes quosdam venæ sectionē inanire iubeas, venas adeò laxas & debiles habentes, vt si clystere (priusquam vena secetur) alui excrementa vacuentur, venæ laxiores redduntur, & quominus sanguinem effundant, inhabiles efficiuntur. Sic ergo (vt rectè sanguis fluat incisione facta) aluus prius soluenda nō est, quā vena secetur, sed à clysteri supersedendum est, vt venæ sanguinem effusuræ robur & tonum quendam seruent. §.2.

Accedit, quòd vt in plurimum statim ab iniecto clysteri vena secatur: quod maximè nocet, vbi vel ex surgendi incommoditate frigore aut rigore corripiūter ęgrotātes, vel vbi natura adminiculteā, nō semel solùm, sed, bis, ter, quater nedeijcere solēt ægrotātes: quæ euacuationes quia sæpissimè ab imperitis se §.3.

ctoribus interturbātur, volētibus adhuc in ipso dijciendi actu (lucri causa) venæ sectionē exercere: ideò vbi in febribus venā secare animus est, multo ante, aut si nihil impediat, nocte præcedēte ventrem laxare clysteribus iubeo; quòd si aliquid impedimento esse posit, satius existmo à venæ sectione aluū mollire.

§.4. Id verò quod Hippo. 4. de ratione victus scribit, etiam à nobis summopere obseruandum est. Vbi enim æger (inquit) ob copiosam sanguinis missionem imbecillior fuerit, clysmū tertio quoque die infundes, donec in tuto æger fuerit, & fame indigeat. Quæ sententia medicos redarguit, qui vno die plures clysteres audent infundere, imbecilla existente virtute. Nam ipse tertio quoque die, nè virtus magis magisque labefactetur, clysmum maximo cū timore infundere suadet. Id quod de medicamētosis & attrahentibus clysmis est intelligē dum. Nam emollientibus & attemperantibus clysterijs in vno die semel atq; iterū vti licebit, & præcipue in febribus ardētibus, æstuosis & acutis. & propter ea. 4. de ratione victus acria salsa & omnino attrahentia medicamenta vetat in febribus ardentibus Hipp. ea ratione motus, quòd ij qui febribus ardētibus corripiuntur, ob eximiā caliditatem & siccitatē aluum adeò duram habent, vt nisi medicamētis lenientibus & humectātibus succurratur, præcipites in mortem irruant, quapropter vno die non semel, sed bis, terue emollientibus clysterijs vtare.

§.5. Sed id quod Archiater Mēna consulit libro de febribus. c. 23. ex Aetio, hoc loco cōsiderandū est, inquit enim: Monuit Aetius suo loco, nè oleum rosaceū clysteri misceremus, nè sursum materias repellat: & licet fatear ingenuè eiusmodi sententiam apud Aetium nō me inuenisse, nihilominus probanda est, & in praxi exercēda: at verò id apud Aetium reperi lib. 1. ser. 3. c. 159. quod oleū rosaceum caput implet, ex quo loco forsan Menna animaduersionem desumpsit: tamen idem Aetius loco dicto oleo rosaceo vtitur pro clysteri, in
§.6. æstuosissimis febribus, & vbi mordacitas circa intestina adest.

Sed id quod lib. 2. c. 78 in hunc modum dicit, etiam consultatione dignum est. Quidam verò olei rosacei cyatum frigidæ exhibendæ affundunt, & sic exhibent. Ipsum enim rosaceum non valde frigefacit, & oleositas eius corporibus intus oblita, non permittit ipsa à frigida aqua lædi, & simul firmitatem quādā exhibet ventri rosaceum, & lubricitatē propter oleositatem. Quidam pro rosaceo mellinū exhibēt. Sed lib. 1. ser. 1. capite de oleo rosaceo, hāc animaduersionem restringit in hunc modum. Cauendus eius vsus est his qui non multam caliditatem habent, & quorum corpus superfluis excremētis redundat. Quin & potum optimum rosaceum cum aqua calida aut frigida magnam vtilitatem de se præbet his quibus stomachus ex acri bile, aut lumbricis aut ascaridi-
§.7. bus infestatur.

Quia verò cura putridarum in hoc maximè consistit, vt ventrem leniamus & vrinas prouocemus (vt Gal. 10. metho. c. 10. dicit: Et vacuatio quidē excrementorum omni febri est vtilissima) ego veritus non sum rosaceum oleum cum aqua frigida exhibere pro potu, vbi vehemēs febrilis æstus affligit, & vbi multa non sunt excrementa, hac enim potione lubrica redditur aluus, & firma redduntur viscera, nec non febrilis ardor extinguitur. Hoc dixerim vt de cætero audaces sint medici practici in hac potione exhibenda: Seruatis Aetij documentis, miscetur bonæ aquæ potioni ℥. 1. & ß. olei rosacei, quæ quantitas cyatū pendet, vt ex Galeno patet libro de ponderibus & mensuris.

Porrò aluum mollire, vbi aluus adstricta est, optimum esse iudicamus in febribus, sin autem spõte deijciat, sinere suademus, nisi paulo largius deijcere expediat: tunc enim duplici remediorum genere facere tentandum est, mollibus nempe clysteribus, & plerisque alijs quæ, in ciborum censum potius, quàm medicamentorum veniunt (vt supra docuimus) qualia sunt, mulsa, & ptissana, quæ sanè ventrem & primas venas à biliosis excrementis & à mediocri pituita expurgare valent. Quòd si valentius remedium desideras, oximellite vteris, quod etiam à ratione cibi admodum alienum non est. §.8.

Quòd verò ad prouocationem vrinæ in febribus spectat, id dicendum existimo, quod Gal. 11. metho. c. 10. eo enim loco post factas euacuationes, & iã quodammodo inclinãte, coctoque morbo, ad prouocationem vrinæ confugit, ea medicamenta eligens, quæ mitẽ suauẽque calorẽ obtineant, nè putredo febrisque augeatur. Nã calidũ omne febri, qua febris est, aduersatur, proinde non temere propinanda sunt diuretica medicamenta, cum eorum plurima, & maxima ex parte calida sint. Quorum vsus (vt diximus) in tepidiori febri cõmodissimus est. Nam vbi febris vis tanta est, vt omnem calefacientem materiam (ad eius sanationem) vitare oporteat, prorsus à diureticis abstinebimus, qualia sunt apium, hyssopum, origanum, pulegium, & reliqua. Verendum enim est, ne calida hæc medicamenta diuretica potius adurant sanguinem, pauciorémque reddant aquositatem, quàm augeant. §.9.

Quapropter dum febris valida est, ijs medicamentis vti oportet, quæ moderatam vim refrigerandi, abstergendi, & attenuandi habent, qualia sunt semina frigida, vt sunt pepones, melopepones, cucurbitæ, & cucumeris caro, & gramen, & horum semina, hæc enim in venas penetrantia & calorem adurentem resoluentemque serum attemperantia, & id quòd viscidum est abstergentia, commodam præbent renibus ipsis attractionem: quæ quidem medicamenta ea ratione ab authoribus media appellantur, quia non solum per se, sed per accidens vrinas prouocare dicuntur. Per accidens enim vrinas mouere videntur, quoniam extinguunt calorem sanguinem ipsum adurentem, & humorum serum resoluentẽ: ex qua attẽperatione sequitur cõmodissima renũ attractio. §.10.

Per se autem vrinas mouent, quia attenuando sanguinem, separant quidquid in illo fuerit aquositatis, non quidem vi caloris (nam frigida sunt) sed vi tenuitatis substantiæ penetrantis & separantis sanguinis serum, & humorum aquositatem: in quorum medicamentorum censum primas obtinet balneum, vt Gal. animaduertit. 11. metho. c. 10.

De prouocatione sudoris non est quòd multa dicamus: præsertim cum capite secundo huius libri plura dixerimus. Id tamen adijciemus in præsenti, medicum naturæ rectè operantis imitatorem, sudores in febribus mouere debere, iã inclinantibus & coctis (qui eas pepererunt) humoribus. Cùm enim perniciosissimũ sit symptoma, in principijs febrium sudare, vt patet com. 2. in 1. de morbis vulg. tex. 75. & com. 3. in historia Philisci, iudicatoria enim non statim apparere debent: rectè quidem facet medicus, si sudores prouocet, quo tẽpore diximus fieri à natura. §.11.

Semper tamen eligi debent ea medicamẽta quæ non multã, sed moderatã habent caliditatẽ, & quæ mitẽ feruorem excitent in venis, ne febris augeatur. §.12.

Id tamen semper animaduertentes, quòd nihil æquè sudores promouet in febribus authore Hippo. lib. de humoribus text. 9. sectionis tertiæ, ac tempus §.13.

 æstiuum

æstiuũ, si Veri simile sit. Cuius ratio ex Galeni cõmẽtario talis est. Veris enim tempus calidum humidumque est: copiosi porrò sudores esse non possunt, nisi aer nos ambiens calidus sit: quod si humiditas illi accesserit (quæ propria est veris temperatura) proculdubio æstas copiosos sudores generabit. Nam propter calorem ad extimas partes trahit, quidquid in corpore redundat humiditatis, quam discutere atque dissoluere in vaporis speciem non potens, in copiosos & multos sudores tota humiditas profluit.

§.14. Quòd si arte sudores prouocare velis in febribus, decoctum ex hordeo & buglossæ floribus & violarum, & ex tormentilla & apio, asaro, rubeaque parabis, quibus si miscere velis radicis Chinæ parum, non peccabis, ea enim radix non multam caliditatem habet, sed moderatam temperaturam sortitur. Quapropter ad prouocationem sudoris efficacissima est.

CAPVT. VII.

In quo febres biliosæ, tam exquisitæ, quam nothæ; tam intermittentes, quàm continuæ considerantur.

§.1. LVRA diximus in superioribus de febribus putridis in vniuersum. In particulari modò febrium differentias perpendemus, initio sumpto à febribus biliosis, quarum diuisionem posuit Gal. 2. de diff. feb. & 2. de crisi: quibus locis bimembrem faciẽs diuisionem, febrem biliosam diuidit in intermittentem & continuam: & rursus continuam, in proportionalem de tertio in tertium, & in causonem seu febrem ardẽtem. At Aui. 1.4.c.54. clarius febrem biliosam in tertianam intermittentem, & in tertianam continuã, & in febrem ardentem diuisit: & has rursus in exquisitas & nothas partitur: exquisitas eas febres appellãs, in quibus sola bilis scandescens putrescit, nothas verò, in quibus bilis aut cum pituita, aut cum melancholia miscetur.

§.1. Sed quia hac in re non facilè authores se explicant, non piget quid ego sentiam aperire. Miscetur frequentiùs bilis cum pituita, rarissimè autem cum melancholia, quia cum bilis & melancholia humores sicci sint, difficulter se amplexari & misceri possunt: quam mixtionem, vt pote difficilem & rarissime cõtingentem, barbaram doctrinam sectantes minoris famæ mixtionem vocauerunt, reliquam bilis & pituitæ mixtionem, maioris famæ appellantes. Hæc frequentior faciliorque est, tum propter pituitæ humiditatem, tum propter bilis calorem, ipsam pituitam penetrantem, & sibi ipsi commiscentem, ita vt ex duobus succis differentibus, inter se tamen mixtis, resultet vnus succus, biliosus quidẽ, sed crassior, & ad putrescendum aptior, quam sola sincera & exquisita: & hoc est quod Aui. dixit. 1.4. quòd quando hi duo humores, pituita & bilis aut melancholia miscentur, mixtione vnita & complexionali, tunc fiunt febres tertianæ nothæ spuriæque: sed hanc non esse veram mixtionem intellige,

ge,quando quidem mixtibilia secundum Philosophum, æqualis virtutis esse debent,nec vnum mixtibilium penitùs dominari debet.Sed multum accedere ad veræ mixtionis naturam intelligas.

Ex quibus duo inferuntur animaduersione digna. Primum id est, febrem hemitriteum(quam duo humores,pituita & bilis constituunt)multũ differre à tertiana notha,licet eandem habeat causam cum hemitriteo:quia hi duo succi in prædicta febre semitertiana habent suas formas distinctas, non mixtas mixtione complexionali vnita(vt verbis Aui. vtar) vt in tertiana notha, & &propterea quiuis humor suam facit accessionem,pituita quidem quotidianã continuam,bilis verò tertianam intermittentem, aut è contra: bilis tertianã continuam,&pituita quotidianam intermittentem. At in tertiana notha quia ex duobus humoribus(eo modo quo diximus)resultat vna forma, ideò fit vnicus motus tertianarius. §.3.

Secundum verò quod ex dictis infertur est, propriam formam specificam humorum esse causam præcipuam periodi febrium,quandò hemitriteus pendens à duobus humoribus non redactis ad vnam formam,facit periodos secũdum exigentiam cuiusque humoris. Tertiana verò notha, pendens à duobus humoribus habentibus(propter mixtionem)vnam proprietatem specificam mouetur per tertios,secundum proprietatem bilis, quæ vt in plurimum in ea mixtione dominatur,& superat. §.4.

Qua in re id perpendant medicinæ practicæ studiosi, Galenum.2.de diff. feb.præter peculiarem humorum conditionem & naturam, qua bilis per tertios, pituita singulis diebus, melancholia per quartos mouetur, eiusmodi etiam circuitus ad quantitatem & qualitatem humorum referre. Nam ideò sanguis dum calescit aut putrescit, continuo affligit, quia sanguinis maior portio est in corpore.Pituita verò ideò crebras accessiones inducit,quia oportuit in corpore post sanguinem magis abundare, vt pote quæ sanguis diminutè coctus sit,deinde bilem pituita pauciorem: paucissimam autem oportuit esse melancholiam, quia vtraque qualitate vitam ipsam oppugnare est apta. Accedit,quod pituita in loco putredinis manens, citius propter suam humiditatem concipit putredinem irritantem naturam ad aliam atque aliam accessionem. Secundo loco bilis propter calorem quem habet sine humiditate,tardius putrescit,quàm pituita, sed dum putredinem concipit, statim naturam irritat.Melancholia verò propter siccitatem cum frigiditate,tardissimè omnium concipit putrefactionem,& tardissimè irritat naturam ad accessiones. §.5.

Quibus rationibus quidam ex barbaris conuicti,& ex neotericis nonnulli moti,autumant,vt quemadmodum melancholia propter sui paucitatem visa est Hippocrati,quintanos,septimanos,& nonanos facere circuitus. 1. epi. com.3.text.2.&.3.epi.parte.3.com.64.ita bilis si paucior sit,per quartos moueri posse,& pituita,si adhuc exigua quatitate redundet,per tertios. Id quod olfaciens Auicenna dixit. 1.4. qui iudicat tertianam per paroxismos,errat in ea:nam à pituita potest fieri tertiana, si adeo paucior sit, vt singulis diebus moueri nõ possit,& à bilequartana,si paucissima sit in corpore putrens. §.6.

Sed ego eo tempore propriam humoris speciem ex proprijs signis animaduertens,potius eas febres erraticas appellarem, quam tertianas aut quarta-

§.8. nas,prȩterquam quòd ea quæ vt in plurimùm contingunt,considerat medicus,non ea quæ rarò eueniunt.eaque ratione fit vt prædicti circuitus. & motus(propter paucitatem facti)non considerentur à medicis,quia vel nunquā vel rarò accidunt. Nisi dixeris posſibilitatem esse rem amplam,vt comuniter in adagio circumfertur.

§.8. Tertiana igitur exquisita à bile fit impermixta,putrida,commota,rigorem, aut horrorem faciente,dum extra vasa maiora per genus carnosum & musculosum defertur,vbi plurima vasa parua dispersa sunt: hæc in corporibus natura biliosioribus,& in ætate vigoris,& maximè tempore æstiuo,& in locis calidis & siccis,& in tali ambientis nos aëris statu omnino consistit. Accedit etiam ijs qui nimio laborè & curis vigilijsque dediti sunt,& quibus cibus ac potus supra modum calidus assuetus est.

§.9. Solent tamen biliosi succi crassi ex prauis edulijs pessimaque victus ratione geniti,putrefieri circum præcordia & ventriculum, iuxta iecoris cauitatem,circum lienem & pancreas,omentum & mesænterium (partes in quibus vniuersa humorum colluuies cumulatur) & generare tum temporis febres tertianas extensas admodum, præcipuè si hyeme, aut autumno inuadant, tunc enim diuturniores quam par est,solent esse. Nisi prudens medicus forum initiumque putrefactionis probè cognouerit, tùm ex signis a Fernelio suo in loco traditis,tùm ex praua victus ratione ante acta,tùm ex maximo ardore dolorosoque earum partium sensu.

§.10. Has nunquam exquisitas videbis,sed ob crudi humoris mixtionem,quocum bilis mixta putrescit,vltra exquisitarum terminum protrahuntur.

Ego verò dum eius conditionis has febres esse cognosco,statim (præmissis clysterijs & inedia iniuncta) ad expurgationem earum partium confugio, medicamento oblato eas solum partes respiciente,& non ab alto corporis humores trahente,nè maior fiat succorum putrefactio, & earum partium obstructio. Idque secundo aut tertio interuallo febris facere suadeo. Nec prius sanguinem mittere audeò,quàm eiusmodi purgationem semel aut bis exerceam,timēs,nè venæ inanitæ vitiosam illam colluuiem ad se trahant,&aliud peius genus febrium oriatur. Quo fit,vt vel accesſio iterum non redeat,vel ea mitisſima, &quæ ferè sensum effugiat,inuadat.

§.11. Neque goc cum supra dictis pugnare videtur,vbi purgationes in febribus fugiendas esse suasimus: cum hic casus particularis sit, & obseruatione inuentus.

§.12. Præterquam quod rarò admodum contingunt febres sine noxa iecoris,lienis,aut ventriculi,aut laxarum in præcordijs partium. Nam ob infinitam propemodùm venarum minutisſimarum multitudinē quæ has partes occupāt, fit,vt praui humores febrium authores generentur, & eiusmodi membra (vt in plurimum)afficiantur, & propterea Hippo. 2. epi. sect. 3. medicos commonefacit,nè ægros inconsideratè tractent,quinpotius diligenter animauertāt, num tumor aliquis in dextra,aut sinistra præcordiorū parte existat,à quo posſit iterum morbus concitari. Quòd si tumorem oboriri viderit,statim medicamentis discutere tentet. Præcordia namque, dicebat Hippo. in præsagijs saluberrima sunt,si mollia fuerint æqualiter in dextris sinistrisque partibus. Nam si inflammationem præ se ferant,aut dolorem,maximè suspecta sunt.

Quòd si iterùm atque iterùm accesſiones redire conſpexeris, & alicuius affectus inflammatorÿ earum partium ſuſpicionem habueris, tùm ex dolore, tùm ex triſti doloroſoque partium ſenſu, digitos tangentis medici non ferentium, tunc vna hora ante inuaſionem, cucurbitulas cum ſcarificatione doloroſarum partium admouebis. Quo etiam tẽpore fomenta ex decocto chamomilæ & pauco abſynthij cõmodiſsima ſunt, & terſo loco oleũ chamomilæ calidũ applicabis, vt pars humoris eã accesſionè facturi, vel reſoluitur, vel per proximũ locũ educatur, iuxta Hippocratis præceptum lib. de locis in homine tex. 144 dicentis. Cęterum morbi ea parte qua proximi ſunt, educẽdi ſunt. Id quod textu centeſimo primo eiuſdem libri dixerat: quem locum nos explicantes, id ex Iacobo Eſteue. 2. epi animaduertimus pro febribus intermittẽtibus curandis, ſæpius ex peculiari corporis parte, vt pote ex cruribus, tibÿs & pedibus eleuari humores febrium authores (quaſi ex foco) quo tempore immiſsis pedibus, aut prædictis partibus in aqua decoctionis chamomilæ calida, exhalari reſoluique humores, & tandem, vel accesſionem mitigari, vel in totum ſubmoueri. §. 13.

Id verò quod aliquando in febribus intermittentibus contigeri vide, perpendendum etiam eſt: vbi enim bilis craſſæ copia adeſt, quæ ſingulis diebus in modum tertianæ duplicis accesſiones faciat, oritur aliquando leuis quidã ſtupor brachij & pedis, & ferè loquelæ interturbatio ſequitur, ita vt ſymptoma me terreret aliquando, exiſtimantem, morbum in hemiplexiam abſceſſum ire. Sed cum tam extra naturam, tum morbi, tùm eius cauſæ ſymptoma fieri animaduerterem, non potui non eius cauſam diutiùs inueſtigare, aque quod alias frigida affectus ſoboles eſſe ſolet, proprium prædicti morbi calidi ſymptoma eſſe poſſe aſſeuerare. §. 14.

Dum enim natura billoſum humorem craſſum à venis magnis in habitum corporis (vbi putreſcit) effundit, venas, carnes, muſculos & neruos ita premit, vt quominus virtus motiua & ſenſifica permeet, impediat, Hippo. authore lib. de morbis virginum: eaque ratione leuem ſtuporem parit, ſimilem ei qui ex compreſsione partium oritur, vnius lateris, ſi in illam partem humor magis incubuerit, aut alterius, ſi in illam magis iraepſerit, quam obrem obſcuram & quæ facilè ſubmouetur hemiplexiam & ſtuporem facit, quouſque humoris portio eam accesſionem facturi febrili calore reſoluitur. Sed hoc ſymptoma aliter ſedandum eſſe ac qui ſolent ex frigida cauſa euenientes hemiplexiæ & ſtupores ſedari, ratio monſtrat: nam & ſanguinis vacuatione (reuulſionis ratione facta) ſanatur, & inciſione attemperationeque humoris calidiſsimi & feruentiſsimi, compeſcitur.

Et licet (vt in ſuperioribus diximus) in febribus putridis prouocatio ſudoris & vrinæ ſit commodiſsima, nihilominus in febribus intermittentibus commodior eſt ſudoris prouocatio, quam vrinæ. Nã cũ ſingulis accesſionibus portio quædam humoris in habitu corporis putreſcat, neceſſe eſt, ſenſibiliter vel inſenſibiliter vacuetur: at experientia monſtrat, febres intermittentes ſenſibiliter per ſudorem vacuari, cum palàm ſit in fine tertianarum ſudorem euocari. §. 15.

Id quod in continuis febribus contrario modo contingit, quæ quia in profundo corporis putrefactionem concipiunt, aptiſsimè per vrinas expurgantur. Niſi forſan humores ſero ſimul ebulliant, tunc enim tenuitatis humo-

ris ratione, sudores maximè procurat natura. Precipuè si æstas cum aliqua humiditate sit (vt supra ex Hippocrate libro de humoribus monuimus.)

§.16. Id verò in practicantium vtilitatem monebimus, quod in tertianis nothis sæpè fieri conspeximus, quod inclinante iam morbo, & accessionibus leuioribus factis, insilire rursus solet morbus, & denuo vires acquirere, quo tempore accessio vna per duos tres dies perseuerans, adeò vehemens & acuta gignitur, vt medicos terrere faciat, existimantes febrem intermittentem in continuam abscessum ire, & ea ratione magno remedio (quale est sanguinis missio) indigere.

Sed re vera dum hoc contingit, natura adeò fortis est, vt vniuersam humoris quantitatem (quæ pro duabus aut tribus accessionibus paruis erat satis) vnica, eaque prolixa & vehementi accessione consumat, ita vt nulla deinceps accessio reuertatur. Nam vehementius contra humorem peccantem aggressa, totum id vnica accessione resoluit & coquit, quod aliàs pro duabus aut tribus sufficiebat.

Sed hunc euentum certissimè pronuntiare audebis, si morbus (vt dixi) inclinauerit, & coctionis signa præcesserint: rarissimè enim cum eiusmodi signis morbus recrudescit, sed firmam certamque salutem promittit.

Id verò quod Galenus. 6. epi. com. 2. illo, Quæcunque tertianæ naturam
§.17. habent, dixit, nos quoque sæpe numerò obseruauimus, in omnibus enim febribus tertianæ naturam referentibus, nox quæ accessionem præcedit, semper est difficilis, præterquam in tertianis exquisitis: in quibus ob succi facilitatem ad hoc vt inflammetur, nullam aut exiguam inquietationem expectabis. Quòd si insignis labor aut difficultas in nocte ante accessionem adfuerit, tūc prædicere poteris iudicium esse morbi in accessione ventura, nullamque deinceps redire accessionem.

Aetius porrò capite de tertiana exquisita animaduertit, quod exquisita
§.18. tertiana, quæ in prima die habet in vrinis subsidentiam albam, leuem & æqualem, tertium circuitum non transgreditur: id quod ego prænunciare non auderem, cùm possit illa subsidentia pars alimenti (assimilationem refugientis) esse, & non pars humoris peccantis. Quam obrem ego bonas vrinas in prima die repertas non magnifacio, malas verò & crudas, aut alio quouis prauo modo affectas, multum considero.

At Galeni sententia .1. artis curat. ad Glauc. capite de tertiana notha
§.19. dicentis: Neque quotidie nutrire, sed alternis diebus satis est: ansam præbuit Stephano Atheniensi eo loco existimandi, tertiana notha laborantes cibandos esse die inuasionis febris, & omnino in die quietis abstinendum esse à cibis, vt pituita superflua, quæ in eiusmodi morbo redundat, in intermedijs diebus coquatur, in meliusque mutetur, & tandem in sanguinem conuersa, aptissimum fiat corpori nutrimentum. Quam sentētiā, vt potè ingeniosam, & nouitatem afferentem, ipse Stephanus eodem loco restrinxit, dicens. Considerare autem oportet, nunquid ad hoc faciendum facultas resistat, laboransq; assuetus sit (dum sanus erat) assiduè comedere. In ijs enim non alternis diebus, sed quotidie nutrire debemus: tenuiorum tamen partium sit alimentum, vt ex partiū tenuitate, ipsius quantitatē moderemus, ac corrigamus. Id quod ab Hippo. mutuauit lib. de affectionibus fo. 195. de tertiana notha sic scribēte:

Et in

& in apprehensione quidem sorbitione & potu nutrito, interposito verò tempore, cibis per aluum secedentibus. Quasi velit dicere, in die afflictionis, ante febris inuasionem sex aut septem horis, plus minus vè, sorbitione & potu nutrito pane (inquam) loto, aut iure pulli, & aqua hordei, hæc enim tenuiter nutriunt. Interposito verò tempore (hoc est) in die quietis, nutriendus æger est cibis & alimentis, quæ tamen non multum nutriant, sed facilè alterentur, & per aluum secedant, qualia sunt lactuca cocta, borrago, cicoreum, quæ si cum iure pulli coquere volueris, non peccabis, nam sic non admodum nutriēt, & facile alterabuntur, & à calore vincentur.

Quod verò ad absynthij comam spectat, satis superque Galen. animaduersum reliquit. 1. artis. cur. ad Glau. absynthio vtendum non esse, nisi post septimam diem, quo tempore materia morbifica iam cocta optima cum ratione esse videtur, vt Stephano Atheniensi eo loco placet. §. 20.

Sed quia Gal. 6. de sanit. tuenda. exiguam vim ex purgandi humores illi præbet, adeò vt existimet, humorem pituitosum affigi potiùs quam abstergi & vacuari absynthij potione, ideò ego, vbi humor coctus est, & febris iam inclinat, absynthij comam in aqua mellis maceratam, per noctéque infusam summo mane ægrotantibus præbeo. Qua mistione maior sequitur abstersio, & crudorum humorum (qui ventriculi tunicis tenaciùs adhærent) insignis vacuatio: id quod Galen. docuit. 4. de sanitate tuēda, vbi absynthium, & hyssopū in in vino & melle macerata maxima cum vtilitate ægrotantibus præbet, dummodo non febricitent, sed insigni abstersione opus habeant. §. 21.

At verò vomitus ab accepto cibo vsque adeò commodus est ijs, qui in prædicta tertiana notha perseuerant, vt multos nouerint Gal. & Aetius ex eius vsu statim & perfectè liberatos: sed ad hoc faciendum promptitudo ad vomēdum necessaria est, nam alioquin vomitus maximè difficilis est. §. 22.

Solet in tertianis, tam exquisitis, quàm nothis, bilis copia ventriculum obsidere, & eius tunicas vsque adeò imbuere, vt oris amaritudinem (quæ cibos auersari fastidireque faciat) concitet. §. 23.

In quo illud quod in curandis ægris obseruaui, iā dicā: sæpius enim quosdā tertiana febre laborantes, de oris amaritudine (nullo interim præsente cibo) conqueri audiui, alios verò tantùm cum cibis vtuntur. Cuius euentus rationē si aliquando reddere cogaris, ex Auerroe disces. 3. collect. c. 35. sic præclare scribente. Multus humor imbutus in tunicis ventriculi se ipsum sine externo cibo mouere sufficit, & amarorem absente obiecto concitare est aptus. §. 24.

Paucus verò humor imbutus externum requirit gustabile, quod paucam quiescentemque materiam concutiat. Quo fit, vt præsente cibo quidam ægrotantium amaritudinem sentiant, quidam verò etiam abiente obiecto.

Atque ea est ratio, propter quam olera (vt lactuca, borrago, endiuia, cicorium, scariola, & demum ipsa aqua) minus horrida molestaque sint his qui biliosis morbis corripiuntur, quam vinum & carnes: quoniam olera prædicta, insipida qualitate qua pollent, minus exagitant & commouent humorem biliosum in prædictis partibus contentum, quin potius sua frigida & humida temperatura illum moderantur, & quasi fræno compescunt.

At verò id quod Hippo. 4. acutorum. 57. profert, magnam considerationē exposcit. Vbi enim (inquit) tertio quoq; die febris inuadit, & quarta dies simi- §. 25.

lis

lis fuerit tertiæ, ægrum eo tempore in maximo periculo esse iudicabis. Cuius rationem Gal. in explicatione reddẽs sic inquit. Quartam diem (quæ septimæ index est) rẽ nouã edere, graue signum est. Nam si prima die & tertia accessio fiat, & secunda hæc accessio nullum signum præbuerit, quod in quintà futura sit accessio tertia, par erit quod nec in quarta: qua propter si quarta habuerit, mali cuiusdam alterius generationem monstrat, &c. quod à medicis (præcipuè curiosis) est maximè obseruatum, quapropter animum applicare oportet, & animaduertere, si quando eiusmodi euentus contingat, prædicere possis futurum aliquod graue malum in ægri perniciem, vt nos aliquando fecimus, magna cum astantium admiratione.

§.26. At id maximè considerare debent medici practici in febribus intermittentibus, quod vbi febris notabili spatio ante rigorem inuadit, & post modum sequitur rigor, talem euentum debilitatem caloris natiui indicare, non potentis humoris putredinem ante expulsionem eius à vasis, impedire.

§.27. Sed iam tempestiuum est febres ardentes perpendere. Has Galen. 8. de placitis. cap. 6. &. 4. acutorum. 4. ex vehementia, feruore, & siti dignoscere docet: quæ dignotio quia æquiuoca est, omnem illam febrem includit & comprehendit, quæ cum magnitudine maximum feruorem habet Qua propter febris tertiana intermittens exquisita, & synochus, ardentes vel potius feruentes dici possunt.

§.28. In quo significato intelligendus venit Hippo. 1. apho. 23. vbi iubet in ardentissimis febribus sanguinem esse mittendum vsque ad animi deliquium: nam vbi febris valida est cum sanguinis feruentis præsentia (vt est synochus) sanguis vsque ad animi deliquium est extrahendus. Nam in alijs febribus ardentibus exquisitis, quæ ex bilioso humore pendent, nullus sanæ mentis medicus ad animi vsque defectionem vacuabit, sed parcè & maximo cum timore, idque solum refrigerationis ratione faciet.

§.29. Ex quo id manifeste elicies, febrem ardentem notham (quæ ex pituitæ falsæ mixtione intra vasa cordi propinqua putrescentis oritur) non esse copiosa sanginis vacutione curandam: cùm humor pituitosus (etsi putrens) non tam largam exposcit vacuationem minor enim est feruor in causo notho, quàm in exquisito aut in synocho. Nam Galen. authore. 4. acutorum. com. 9. humor causi nothi author (etsi ad reliquas pituitæ species cõparatus, sit calidus) natura sua frigidus, lentus & crassus est: quapropter nec adeò feruet, vt bilis in legitimo, aut sanguis in synocho, nec tanta linguæ nigredo ac sitis in eo adest, ac in exquisito, & synocho feruente: quod Tralianus animaduertit libro. 12. Sed meo iudicio cum Galen. 4. acutorum dicat, salsa plus acribus siccare, vrgentissimam sitim in causo notho esse dixerim, non tamen adeò vehementem, vt in causo exquisito, in quo linguæ nigredo maxima est quæ (vt in plurimum) incompescibilem sitim adfert. Causus porrò nothus periculosior est exquisito, vt Traliano placet: corruptum enim magis est quod per aluum deijcitur, quam in legitimò, in quo bilis non adeò corrupta excernitur.

§.30. Et licet febre ardente laborantes ob calidos vapores cerebrum petentes, non rarò delirare videantur (vt mox dicemus) solent tamen tam perspicaci

acutoque

acutoque esse ingenio, vt visi sint multi quandoque vaticinari, & astantibus futura prædicere. Id quod considerans Areteus Cappadox libr. 2. de acutis cap. 4. in hunc modum scripsit. Animus stabilis & constans est, sensus omnis purus & integer, subtile ingenium, mens vaticinando idonea. Primum quidem se ipsos de vita migraturos præsentiunt, deinde præsentibus futura denunciant. Nonnulli verò interdum eorum dictis fidem non habendam putant, sed dictorum euentus homines in eorum admirationem concitat. Aliqui præterea ex his cum quibusdam vita defunctis sermonem habent, fortasse quidem ipsi soli præ sensus acumine & puritate eos adesse cernentes: aut forte ipsorum animo viros cum quibus versaturi sunt, prænoscente atque enarrante. Quippè antea in lutulentis humoribus & caligine demersus erat quos vbi morbus exhausit, & ab oculis tenebras detersit, quæ in aere fiunt, prædicant, exutoque sordibus animo, veracissimi vates efficiuntur. Sed quorum succi & ingenium adeò extenuati sunt, hi non diu admodum solent esse superstites, cum eorum vitalis potentia iam in aerem cesserit atque abierit. Hæc Areteus. Curaui ego (etiam si non sanauerim) monachum ordinis diui Augustini virum reuerentia dignum, febre ardente laborantem, cui futuram illi mortem aliquot diebus antea prædixi: ille verò ægrè ferens prædictionem, quadam die renuntiauit: Tu prædixisti mihi futurum interitum, ego autem prædico tibi futuram breui rerum domesticarum maximam iacturam. Cui ego subridens posse & mihi & illi id ipsum facilè contingere, respondi. Factum est autem non post multos dies, vt variæ lites mihi fuerint subortæ, è quibus non solum rei domesticæ, sed & salutis ruina maxima contigit, vt mirum fuerit, quomodo (nisi Deo propitio) tot calamitates effugere potuerim. Hoc ideò dixerim, vt si quandoque febre ardente laborantem videris, se ipso acutiorem & ingenio pollentem, non solùm huius euentus reddere rationem possis, sed etiam futuram illi breui mortem: cùm humores habeat adeò tenues & aëreos, minimeque tenaces, vt diutius in vita perseuerare non possit, vitalis enim potentia iam ferè in aërem cessit, atque abiit. Id quod maxima cum ratione illis contingit, cum anima eo temporis non per species corporeas discurrere videatur (puro ferè iam a sordibus corpore.) audacius enim & maiori cum fiducia mortem monacho vaticinanti prædixi Aretei instructus animaduersione.

Sed quia posset aliquis dubitare, quomodo febre hectica laborantes (qui §. 31. animam habent, non iam in lutulentis humoribus immersam, sed in sicciori subiecto degentem) non similiter ingeniosi, ac vates acuti fiant, respondebo sanè, ob multas rationes id ipsum illis minime contingere posse. Primum quidem, quia calor hecticæ non est ita violentus & efficax, vt possit spiritus (qui sunt animæ instrumentum) sic calidos & tenues efficere, vt sint ipsi apti ad perspicacitatem ingenij, vt in febre ardente, cuius calor citò, confertim & abūde humores corporis consumit & exhaurit: quin potius paulatim & pedetentim absumens humiditates, spiritus quodammodo reddit debiles & parum efficaces, vt ingenij acumine præualeant, aut veracissimi vates efficiantur.

Accedit, quod hectici fere omnes (vt aduertit Mōtanus lib. de characteris §. 14. mis febrium cap. decimo) vt in plurimum catharro moriuntur. Nā cùm calor

hecticæ

hecticæ colliquet paulatim corporis humiditatem, & ita pedetentim, vt id quod colliquat, in vapores resoluat, hinc fit, vt caput petẽtes ibi cõdensentur & incrassentur, & graues facti in thoracẽ defluant, qui postea tussi reijciuntur. Quo factum est, vt eorum anima (quæ præcipuè in cerebro suam operationẽ exercet) prædictis vaporibus & humiditate sopita, non ita acutè & perspicaciter discurrat, vt in ijs qui febre ardente laborant. Sed de hac animaduersione fusiùs agemus capite de febre hectica.

§.33. Non raro contingit his febrientibus delirium, ita vt neque cibum neque potum (etiam si vtroque maximè egeant) petant. Non ergo debent qui his ministrant, alimenta in forma potabili negligere, & potiones frigidas contemnere, quinpotius (etiam si respuant) omni ingenio inuitare: obliuiscuntur enim fere omnes eiusmodi delirio laborantes, cibi & potus: quos si coacti sumãt, calicem plenum ingurgitare conspicuntur.

§.34. Et quanuis satis breuis hic morbus esse soleat, ita vt intra septimum finiri contingat, non tamẽ hac ratione tenuissimo victu vti oportet in hac febre. Deficiente enim alimento (quod vim humectandi bilem habet) ea acrior redditur, & sæua symptomata generantur. Vescatur ergo febriens piscibus paruis, & pullis gallinaceis cum lactucis coctis & cum arantiorum succo comestis. Nec audiendus Paulus est, qui lib.2.c.30, ita dicit. Nam qui ardentibus febribus conflictantur, sola potione sustinendi sunt. Nostratum enim consuetudo, & morbi natura, tantam inediam non tolerat, sed adiectioni intendendum multo magis.

§.35. Aluum soluendam esse in hac febre, & qualiter id exercendum sit, diximus cap.4. Sed nunc illud addere oportet, quod peculiare huic febri esse omnes intelligant, in nullis biliosis febribus adeò noxiũ esse scamonij vsum ac aliorum calidorum pharmacorum, velut in causo febreque ardente. Hæc enim febris multo plus refrigerantia poscit, quam aliud febris genus. Qua propter per casiam, mãnam, pruna, violas, thamarindos, subductionem facere hortor, vt Aetium sequamur, qui cap.78. tetrabli.2. sermone primo, sic inquit. Primũ itaque hanc febrem leniter ac blande aggredi oportet.

§.36. Post eiusmodi sumpta pharmaca parum dormire suadet Aui. cap. de cura causi dicens: Dormiant super aquam thamarindorum. Non enim veretur, sumpto lenie nti pharmaco, purgationem cohiberi posse, & sæua symptomata oriri, cum nullam venenatam qualitatem obtineant, quinpotius horum plurima alẽdi facultate prędita sunt. Maius enim cõmodũ ex somno emergit his (qui solent vigilijs superfluis molestari) quam damnum ex pharmaci detentione.

§.37. Quòd si sumpta casia aut manna, aut prunis, aut thamarindis, vel alio ex relatis medicamentis, aluus in sequentibus diebus lubrica non duret, cõsulo ego vt febriens lac asinæ bibat in matutinis horis, sequutus Hippocratem.4. de ratione victus ferè in principio dicentem, aquam mulsam & aquosam patientibus exquisitum causum conuenire. Verùm si ad hæc non aperiantur, lacte asinæ cocto purgabis. Id quod audacter faciendum est, si neque fumosum aut quam maximè acidum eructare medicus intelligat. Nam si parum acescere lac sentiatur, non ideò vitandum est: quippe à rebus externis acidum versum conferre his febrientibus omnes medici fatentur, quanto magis si intra ventriculum lac acescat parum.

Balneum vtile esse his qui causum patiuntur, dixit Aetius tetra. 2. sermone. 1. c. 79. & Aui. c. 42. de medela causi, & Paulus lib. 2. c. 30. sed differunt Paulus & Aui. quod Aui. dicit. Illi in quibus magis diligitur balneum ex eis sunt, quorum febris est ex phlegmate salso. Paulus verò sic inquit. Quibus ex salso humore febris ardens generatur, his inutile est balneum. Quorum sententiæ ex professo aduersæ videntur. Qua in re Auicennæ decretum præferendum censeo. Nam quum pituita salsa non sit adeò apta, vt per cutim vacuetur, sicut bilis, quæ sine balneo difflare sæpissimè solet per sudorem, hinc fit vt pituita salsa balneo egeat, vt per cutim discutiatur, & per sudorem vacuetur. Causus tamen à bile ortus, videtur frigidum balneum respuere, ex eo quòd frigidum balneum obstruendo cutis meatus, febris causam discuti prohibet. Calidum verò, calidiorem & tenuiorem reddendo bilem, ipsam furere & ebullire facit. Quòd si aliquando conuenire ac prodesse videantur, illud virtuti forti adscribendum. §. 38.

§. 39. Huius febris ardentis biliosæ commodissima finitio per sudorem est, vt nos latissimè animaduertimus cap. 2. huius libri. Sed & nunc admonere licet, sudorem illum, quem præcessit rigor, nō multa cautione egere. Certum enim est morbū tunc finiri. Quapropter ægro licet, aliā atque aliam lecti partē percurrere. Hac enim licētia fouetur æger, vires releuantur, somnus allicitur, & sudor augetur, & sine molestia toleratur, & syncopes ægrotum non apprehendit.

Quia verò pituita omnis (cuiuscunque conditionis sit) quotidiano circuitu mouetur, sequitur occultas illas exacerbationes per tertium, in solis legitimis locum habere. Nam in causo notho singulis diebus exacerbationes fieri, est maximè rationi consonum. §. 40. §. 41.

Et licet signa quæ dicentur quamcunque febrem continuam periculosam esse demonstrant, in causo præcipuè notho id maximè denuntiant, si illa gradatim fieri conspexeris. Nam si in principio lingua sicca scabraque fuerit, & progressu morbi nigra liuidaque fiat, in rimasque findatur, tunc quia maximum incendium arguit in vasis, & insignem corruptionem & marcorem interiorum viscerum, certissimam mortem prænuntiare audebis, Hippo. authore lib. coacæ prænotiones.

Sunt etiam ardentes quædam febres, quæ prudentem & exercitatum medicum requirunt, in quibus crassus crudusque succus cum bilioso à principio miscetur, cuius ratione bilis feruor & acrimonia morbo ineunte mitescit, atque retunditur, putredoque non magna esse videtur, sed moderata omnia apparent, cum tamen accedente incremento, & circa statum vehementia morbi & symptomatum insurgat, facta eo tempore à calore præternaturam in venoso genere fermentatione vtriusque humoris, crudi scilicet, & biliosi. §. 42.

CAPVT. VIII.

In quo febres complexæ, erraticæ & inconstantes considerantur. §. 1.

Semi tertianarū naturam quia paulo superius tradidimus, paucas animaduersiones earum dicemus. Nam præterquam quod raro admodum semitertianæ

§.2. tertianæ curandæ se offerunt, rarissimèquoque eiusmodi complexum medici animaduertunt.

Et licet Galen. varia genera compositarum febrium. 2 de diff. feb. & libris de crisibus scribat, nihilominus authores omnes de hemitriteo solum
§.3. verba faciunt, vt sit instar exempli, ad cuius similitudinem omnes aliæ febres compositæ curentur.

Galenus itaque. 1. epid. sect. 1. illo (erant autem plurimis illorum pathemata hæc, febres horridæ acutæ, continuæ, omnino quidem non intermittentes, figura autem semitertiana, vno quidem die leuiores, altero autem
§.4. axacerbescentes & acutiores) existimat, non quamcunque febrem ex tertiana & quotidiana compositam, esse hemitriteum, sed eam tantum, quæ continua & acuta horridaque est.

Qua in re Galenus. 2. de differentijs febrium. cap. 10. Archigenem & Agatinum reprehendit, quorum alter semitertianam in intermittentium numero posuit, alter verò in eodem genere cum tertiana locauit, & sola accessionis vehementia ab ea differre existimauit. Id quod ex Hippocrate deducit. 1. epid. commen. 3. text. 5. vbi hanc febrem lethalem esse dixit. Porrò febrium ad integritatem venientium nullam esse lethalem in aphorismis clarè docuit his verbis. Febres quæcumque non intermittentes tertio die ingrauescunt, periculosæ sunt, quocunque autem modo intermiserint, periculum abesse significatur. Qui igitur semitertianam inter febres intermittentes ponunt, nihil periculi habere dicunt, cum aperte Hippocrates eam lethalem esse affirmet. Quod autem hæc febris (præter acutiem dictam) continuitatem simul cum horrore etiam habere debeat, ex hoc palam fiet, quod febris tertiana & quotidiana quatuor modis misceri complicarique possunt. Vel enim ambæ intermittentes, vel ambæ continuæ, vel vna earum intermittens, altera continua. Si igitur ambæ sint intermittentes, non possunt semitertianam constituere, quippe hæc continua esse debet: si verò ambæ sint continuæ, efficient quidem febrem continuam, sed sine horrore, omnis enim febris continua nullum perse rigorem, aut horrorem facit. At Hippocrates eiusmodi semitertianam horridam appellauit: ergo ambæ febres (si continuæ sunt) hemitriteum non generabunt. Itaque alteram intermittere, alteram continuam esse oportet. Nec interest, vtra continua sit, aut intermittens, vtroque enim modo & continuitatem seruabit, & horrifica erit. Sed quia quotidiana facilius efficitur continua, quâm tertiana (habet enim longiores accessiones quotidiana) ideò frequentius quotidiana continua & tertiana intermittens complexæ, semitertianam constituunt, quàm quilibet (ex supra connumeratis) complexus. Quo autem modo eiusmodi febres complicentur, satis diximus initio capitis superioris: ne ergo sit opus eadem toties resumere, ad illum locum studiosos relegamus.

§.5. Quòd si quando hemitriteum curandum susceperis, curationem instirues tertianæ & quotidianæ conuenientem, & pro humoris excessu, curationem etiam variabis. Nam si flaua bilis superior euaserit, ijs præsidijs vteris, quæ tertianæ conueniunt: sin pituita, ijs quæ in quotidianæ curatione

curatione dicemus,& ei quod magis vrget incumbendum, ita tamen nè alterum prorsus negligatur. Quam obrem nihil opus est, remedia quibus hæc febris curatur, hoc loco recensere, quum quiuis ea promptius pro humorum diuersitate & natura, ex proprijs capitibus ediscet: qui enim simplices & impermixtas febres curare sciuerit, compositas nullo labore curabit.

Quia verò Galen. 1. epi. com. 2. text. 22. erraticas febres ex diuersis succis generari dixit, non erit abs re hoc loco earum essentiam inuestigare, & in quo differant ab inconstantibus, aperire: de quibus Hippocrat. 4. de ratione victus text. 52. dixit: Inconstantes febres non sunt curandæ, donec constiterint. Vbi autem constiterint, victu & curatione conuenienti pugnabis. §.6.

Qua in re si recte Galeni mentem perpendere volueris, inuenies, longe differre inconstantes febres ab inordinatis & erraticis. Nam. 2. de diff. feb. cap. 18. de inordinatis agens, earum essentiam in ijs duobus consistere affirmat, in victu nempe, intempestiuè & inordinatè sumpto, & in mutatione humoris in aliam naturam. Nam si humor biliosus tertianam efficiens, per morbi dicursum assetur, transibit quidem in atram bilem, & quartanam efficiet. Sed antequam illam generet, dum inæqualiter assatur, & accenditur, tardior (proculdubio) efficitur, ita vt accessiones tertianarias retardare faciat, & sic donec quartanam generat, errabundè mouetur. §.7.

Id quod etiam fieri potest, quoties humor in parte aliqua putrescere incipit, & alius succus diuersi generis in eam ipsam partem confluit. Exempli gratia. Si pituita multa in parte putrescens, in quam aliunde confluat bilis, quæ suo calore & mobilitate pituitam ad putrescendum maturiùs commoueat, & putredinis tempus anticipare faciat, tunc profectò dies accessionis peruerti videbis, & inordinatas fieri febres deprehendes. Quod si bilis è contra in loco aliquo putrescat, & pituita aliunde fluat in eam ipsam partem, sua quidem frigiditate bilem hebetabit, & retardare accessiones faciet. §.8.

Accedit a[...]c etiam, quòd auxilia medica tēpestiuè adhibita, accessiones similiter retardare faciunt. §.9.

Porrò natura dum ad crissim festinat, accessiones anticipare facit, sicut retardare, quando à pugna quiescit. §.10.

Cognosces instare solutionē morbi febrilis, ex his quatuor signis. Primò ex specie febris, si biliosa est, nam hic humor irritat naturam ad sui expulsionem. Secundò, ex accessione, si anticipat: nam ex anticipatione irritatio naturæ accingentis se ad pugnam cognoscitur, præcipuè si accessio vehementior sit, & cum prauis symptomatis inuadat, & celeriter particularia tempora pertranseat. Tertio cognoscitur instare solutionem morbi, ex impuritate interualli: nam continuitas febris adhuc irritationem arguit. Postremò si coctio manifesta apparet, signum est accelerationis crissis, & solutionis febris. §.11.

Sed hic duo sunt animaduertenda. Primum est, quòd obseruatio horæ inuasionis, semper est mala. vt. 4. aphorismor. 30. quia significatur fixio causæ morbificæ, sicut variatio causæ morbificæ quæ accessiones variat, semper est bona. §.12.

Secundum animaduersione dignum est, quòd licet duplicatio accessio-

nis sæpè sit mala, ex eo quòd significat augmentum causæ morbificæ: quandoque tamen est bonum signum, & bona causa: bonum quidem signum, quia significat naturam aggredi humorem & ipsum non contemnere, bona verò causa est, quia partitus humor facilius superatur.

§.13. Sed ob errorem in victu commissum contingit, quod febres sint erraticæ, & in ordinatæ, hoc modo. Si enim hora prima accessio futura est, & æger peccauerit circa res naturales, eueniet profectò multo ante, aut multò post pro peccati magnitudine, quidquid Argenterius lib. 3. de causis morborũ capite septimo, vbi errorem in victu commissum non alia ratione febres erraticas facere dicit, quàm quod humores ita mutet, vt vel anticipent vel retardent accessiones.

§.14. At verò Galen. lib. de typis. cap. 4. duplicem errantium febrium differentiam assignat: quædam enim sunt febres inordinatæ quæ typicum dierum ordinem seruant, sed vel anticipant, vel subsequuntur ob rationes dictas. Aliæ sunt quæ typico dierum ordine carent, & hæ quandoque singulis diebus, quandoque tertio vel quarto (inquibus diebus semel aut bis) mouentur etiam erraticas loco dicto appellat. Id quod ex eo contingit quod humor i. æqualiter accenditur & putrescit, vt Galeno placuit. 3. prog. text. 27. dicenti. Quando igitur nondum habet corpus vniuersum affectionem vnam, sed atra bilis in quibusdam partibus mouetur, in quibusdã immota manet, in alijs verò partibus feruere incipit, inordinatas fieri febres necesse est. At quoties in cunctis venis e[illegible]em fit affectio, ex superante atra bile quartana consistit febris, &c.

§.15. Po[illegible] fuit Galen. exemplum in atrabile, & non in alio humore, vt in sinuaret erraticas omnes febres maxima ex parte ex illo humore ortum ducere, & in quartanam desinere. Quod adeò verum est, vt periti medici audeant febrem quartanam futuram prædicere, vbi erraticas febres prædecere vident.

§.16. At verò quia solent febres implexæ medicos fallere existimantes esse febres erraticas, non erit abs re earum naturam explicare, & in quo different à febribus confusis aperire. In primis ergo vtraque febris, implex a (nempe) & confusa, compositæ sunt: sed in hoc differunt, quod confusa ex diuersis humoribus ita permixtis & confusis inter se se generatur, vt resultet vnus succus in vno loco putrescens, ex quorum numero & genere sunt omnes febres nothæ, de quibus superiori capite ægimus, vbi id animaduertimus, quod quando humores æquali quantitate miscentur, vix potest medicus diffinitum febris genus cognoscere: quando verò alter humor plus superat, tunc à potiori & prædominanti sumit febris denominationem.

§.17. At febres implicitæ seu implexæ ex diuersis humoribus diuerso in loco, positis generantur, diuersam & vnicuique propriam habentibus naturam, essentiam, locum & motum, eaque ratione perperam duas febres continuas implicari posse dixit Auicenna, cùm reuera continuæ omnes eundem locum (in quo putrescunt) sortiantur: is autem est, venæ maiores inter alas, & inguina sitæ. Itaq; febres omnes simplices intermittẽtes implicari possunt in simili genere, vel in diuerso, vt quotidiana duplex, tertiana duplex, quartana duplex: in dissimili verò genere, vt quãdo quotidiana implicatur cũ tertiana,

& altera

& altera continua est, altera intermittés, vt in semitertianis diximus. Eiusmo di ergo implexus, vt aduertit Gal. 2. de diff feb. 18. non sunt in ordinati circui tus, sed dicuntur tales implexus potius ordinis perturbationes, quàm febres er raticæ & in ordinatæ.

Quia verò errantium febrium figura & species medicis nota est & cõstat, non abs re (prout ab hoc aut ab illo humore fiunt) curantur.

At incõstãtium febrium species & figura, quia medicis incognita est, ideò earum curationem dissuadet Hippo. Qua in re medici practici, hæc tria apud apud Hippocratẽ reperiri aduertat, annus (in quã) incõstans, & tẽpus, & febres inconstantes. Nã sicut annus constans & tempestiuus est, in quo tempora suã seruant naturam, vt scilicet autumno copiosæ pluuiæ fiant, & in æqualiter frigus & calor corpora afficiant, & hyems moderate pluuiosa & frigida sit, ver au tem temperatus, & æstas calida & sicca (è contra vbi tempora suam hanc non seruant naturam annus inconstans intempestiuusque dicitur.) Ita & eodem modo morbi constantes dicuntur, quando de ipsorum natura & specie constat, inconstantes verò, quando nihil firmum certumque de eorum natura & specie habetur. Quia verò ea quæ nobis speciem febris firmiter & certò demonstrant, Gal. authore. 4. de rat. vict. tex. 52. sunt periodi febrium, pulsus, & vrina, ideo ad hæc omnia animum applicare debemus. Nam si periodi inor dinati fuerint, & vrina multipliciter in die de specie morbi indicauerit, & pulsum similiter nunc bilem, nunc pituitam, nunc sanguinem, nunc atram bilem prædominantem significare perspexeris, tunc certò auseris prænuntiare, febrem esse inconstantem, & proinde sequutus Hippocratis præceptum, donec cõstent, earum curationem non aggredieris. Id quod me oiudicio intelligendum est, de vera conuenienti, & adæquata caratione. Nam tentatiuam aggredi curationem per medicamenta leuia, iam satis superque diximus posse exer ceri, lib. de locis in homine tex. 118. vbi Hpprocrates, si morbum quis nõ cognouerit, medicamentum leue purgans propinare iubet: quo (si res benè cedat) cognoscamus, morbũ vacuatione indigere, sin minus, adiectione. Id quod ex Aui. comprobauimus. 4. 1. c. 2. dicente. Quod si non cognoueris ęgritudinem, & experiri volueris, non experiaris cum superfluo, ad illum ergo locum legẽ tes confugiant. §. 18.

Subsidentias verò intempestiuas & inconstantes appellat Hippocrates eas quæ fiunt, antequam coctus sit succus morbi author & causa, vt accidere solet in pituitosis morbis incipientibus, in quibus ex succo crudo aliquid solet generari simile ei quod bonæ subsidentiæ respondere videtur, adeò vt medicos fal lat, bonam esse subsidentiam existimantes. Quapropter rectè Hippo. 1. epi. tẽpestate. 1. illo, Antequam æstas inciperet, &c. medicos animaduertit, vt nõ so lum subsidentiam candidam, leuem & æqualem desiderent, sed etiam tempe stiuam exoptent. Erit autem tempestiua, si reliqua signa monstrauerint morbum esse in augmento aut statu, in quibus temporibus coctiones apparere solent. Nam si in principio subsidentia videa tur, vt pote intempestiua, à medicis suspecta esse debet. §. 19.

(.?.)

CAPVT. IX.

In quo febris quodiana consideratur.

§.1. Ebres quotidianæ frequentiores sunt quã medicorũ vulgus existimat. Nã ob imperitiã nesciẽtiũ inter quo dianam & tertianam duplicem distinguere, & eam quæ quotidiana est, pro tertiana duplici accipientium, ortum est, vt raro, admodum sibi offerri (vt cu rentur) dicant, sed falluntur hi ex similitudine paroxismorũ. Quapropter rectè inter medicos circũfertur, quod qui iudicat febres per paroxismos, errat in eis. Cùm enim febris hæc ex pituitoso humore originẽ ducat, qui non solum post sanguinem in corpore copiosior existit, verumetiã ob suam humiditatem paratissimus est putrefactioni, non erit mirum, si frequenter febres quotidianas generet. Accedit, quod ex ingluuie (quæ nostris ijs temporibus multũ increuit) plurimæ fiunt cruditates, ex quibus pituitosæ febres oriuntur.

§.2. Distingues febres pituitosas à reliquis febribus ex ijs quæ Gal.1.art.cur. ad Glauc. monet, nempe ex victu, si pituitosior sit quam ratio postulat: ex natura ægrotantis, si ad temperiem frigidam & humidam declinauerit, qualis est obesorũ habitus, ex ætate seu vitæ studio, si id otiosum sit, & quieti curisque deditum, quale est literatorum vitæ studium. Item ex consuetudine, si ijs omnibus quæ pituitam generare possunt, æger sit assuetus, ex frequẽtibus cruditatibus, & denique si æger senex, vel puer fuerit. Nam in senili ætate ob assiduas incõ coctiones ex imbecilli facultate prouenientes multa pituita colligitur. In puerili autem ætate, licet calidior sit natura atque humidior, ob voracitatem crudiora congeruntur excrementa, ex quibus putrescentibus quotidiana febris oritur.

§.3. Cognosces etiam febres pituitosas, quia sæpe incipiunt à syncope. Vnde elicies, non immeritò Galenum lib. de sanguinis miss. c.6. & 12. metho. c. vltimo, venæ sectionem prohibere etiam in magnis inflammationibus internis vbi præsentia crudorum humorum existit. Nam pituita ob multas causas maximè vires prosternit si in corpore abundet: nam præterquam quod immodice augetur intra vasa à calore febrile fusa, frigiditas etiam ipsius maximè opponitur vitæ, iuxta Hipprocratis doctrinam dicentis, frigidum naturæ inimicum. Sed & crassities, lentor & copia ipsius obstructiones facit, quæ ventilationem & refrigerium corporis impediũt. Accedit, quod cùm receptaculũ eius sit os ventriculi, ex necessitate propter viciniam cor ipsum afficiet, & vbi abundauerit, multam debilitatem pariet, & in syncopem ægros incidere faciet. Quapropter rectè Galen. 12. metho. inter symptomata febriũ connumerat eiusmodi syncopas. Nam ea quæ humorosa est, febribus pituitosis peculiaris est, minuta verò syncopes biliosis propria.

§.4. Quotidianarum meminit Hippo. sect. 3. 1. epi. sub nomine febris nocturnæ

& diurnæ

& diurnæ, dicens: Nocturnas nõ valde esse lethales, sed longas. Diurnas verò periculosiores esse nocturnis, quia ad tabem ægrum perducunt. Id quod multis de causis verum est, nam dies, Sol & vigilia corpora rarefaciunt, & humores attenuant: quando ergo humores ex beneficio Solis & diei non meloran tur, sed putrescunt, & corpora cogerè faciunt suo insultu, malitia maxima eorum deprehenditur esse. Accedit, quod improportionale est pituitæ incipiente die inuadere, sed eius motus est est ad noctem: quapropter cum improportionalia omnia sint praua, prauum quoque erit pituitam incipiente die putrescere. Præterquam quod nocte cibandus æger est, & à cibo vigilandum: quare impedito somno, diutius durat morbus, & præ longitudine non rarò in tabem incidit. Addit Aui. suo loco, quia sicut diei calor febrili accessioni nocet, ita noctis frigus tepori interualli incommodum est.

Sed id maximè aduertit Stephanus Atheniensis tex. 98. artis cur. ad Glau. quòd in febribus quotidianis materia magis quàm qualitas peccat, ideò contra eam maximè pugnandum. Enim verò quia in tertiana qualitas præcipuè infestat, contra hanc ipsam instamus, refrigerantes scilicet, & humectantes, minus autem vacuamus: in quotidianis autem contra facimus, magis humorem vacuantes, quàm qualitati resistentes. §. 5.

Exquisitas porrò quotidianas longiores esse quam nothas & spurias, docet Gal. lib. art. cur. ad Glau. tex. 93. vbi Atheniensis in hunc modum scribit. In quotidianis, quoniam ex sui natura crassa est materia, si adulterari debet, ex bilis certe, quæ tenuium est partium, permixtione, adulteratur, hincque cum non tanta indigeat concoctione, in exiguum necessario tempus extenditur: quotidiana ergo notha breuior est, quam exquisita. §. 6.

Vetustior est illa opinio (quæ febrium interpollatarum causam in locis circum præcordia, in omento, pancreis, in intestinis & ventriculo sitam esse pronuntiat) quam vt vni Fernelio adscribi possit. Nam Atheniensis Stephanus è Græcorum numero nõ contennendus author. lib. artis curatiuæ ad Glauc. tex. 63. in hũc modũ scribit. Quod verò nos in ipsis artis operibus vidimus, id dicamus, dictum sane etiam ab antiquis, fieri nempe quotidianam febrem sæpe numero ex pituita putrescente, vel in ventriculo, vel in intestinis, eiuscemodique febrem cessare intra quartam, vel quintam diem, causa febris per clysteres solos vacuata. Vt hinc elicias, antiquiores medicos ipso etiam Stephano Atheniense, huius fuisse sententiæ. Nec vnũ Fernelium in hac asserenda doctrina nouum aliquid attulisse, sed antiquã opinionẽ suscitasse, & tãtùm fimbrias dilatasse est dicendum, dum id quod in quotidianis apud Stephanũ & antiquos obseruatum reperit, ad alias intermittẽtes trãstulit. Elicies etiam, quanti momenti sint clysteriorum iniectiones in quotidiana & reliquis febribus intermittentibus, quandoquidem febris quotidiana (quæ lõga esse solet) solis clysteribus sæpe numero intra quartam aut quintam diem curatur. Sed in hoc casu pituitam esse paucam, nec admodum crassam dices, & sic nõ adeò rebellis est, vt esse solet quotidiana quæ in venis causam habet pituitã crassam & multam, de quibus Galen. 1. art. cur. ad Glau. dixit. in manifestam integritatem & in purum interuallum non deuenire, præter paucas quasdamè quarũ numero est febris quotidiana, quæ paucam & non admodum tenacem habet causam, præcipuè si in habitu corporis raro & facile diflabili generetur. §. 7.

§.8. De eiusmodi febre dixit Rasis lib. 18. continentis, quod febris quotidiana quæ ad purum interuallum deuenit, breuissima est, præcipuè si sudor aliquis percipiatur.

§.9. Dignosces speciem pituitæ putrescentis, ex modo inuasionis febris. Nam si à pituita vitrea generetur, inuadet febris cũ rigore difficilè calescibili propter suam insignem frigiditatem: si verò à pituita salsa fiat, incipit ab horripilatione: quod si à pituita acida oriatur, inuadet cum frigore: à pituita autem dulci si fiat, nec cum rigore aut horrore aut frigore incidit, sed sensim putre facta pituita pullulat.

§.10. Impossibile est, inquit Rasis. 18. conti. c. 1. in febre quotidiana hepar aut vẽtriculum non esse læsum, quapropter tota medici intentio in huius febris curatione, circa corroborationem ventriculi versari debet: quod vt fiat, prius ipsum mundificare oportet, aqua multa calida epota, hæc enim & extinguit sitim, & pituitam in ventriculo existentem abstergit, frigida enim aqua incrassando pituitam, febrem prorrogare facit,

§.11. Vomitus præterea post repletionem factus maximè conducit ad expurgãdum ventriculum à pituita, in his qui facile vomunt: nam eos qui cum difficultate id faciunt, cogere non debet medicus ad vomẽdum: quippe vomitus multum debilitat ventriculum.

§.12. Purgatio præterea conferta, in hac febre exercenda non est, sed per vices & per epicrasim Traliano authore suo loco.

At Rasis vbi supra ex agarico, scamonio, pipere, succo rosarũ & melle, pilulas describit ad expellendum pituitam conuenientes, quæ non admodum calefaciunt. In quo id animaduertendum, quod Gal. vix purgationis & sanguinis missionis pro hac febre curanda meminit, præcipuè si cum syncope prehendat, sed frequentibus frictionibus, & alijs auxilijs syncopi conuenientibus vtitur. 12. metho. c. 3.

§.13. Porrò in quotidiana febre Rasius frequenter attrectare pulsum monet, nã repente ad maximam debilitatem immutantur, propter viciniam & consensum cordis cum ore ventriculi, in quo id (contra plurimos medicos existimantes frequentes ac veloces pulsus febrium comites semper esse debere) animaduertit, quod in hac febre pulsus tardi & rari fiunt, præcipuè si syncopes instare videatur.

§.14. Quod verò ad victus rationem spectat, in hac febre id dicendum existimo, non oportere in primis diebus victus rationem tenuem instituere, nisi breuẽ fore morbũ suspiceris, & aliqua conferẽtia ex tali victu tenui sequatur. Quòd si febris perseuerauerit, crassiorem victum instítues, nè virtus labefactetur, & æger succumbat.

§.15. At Rasius pullos interdicit quotidiana febre laborantibus, ex eo quòd frigiditate humiditateque sua pituitæ putrescenti multum nocere possunt.

§.16. Quapropter nihil æquè conducit quàm longa fames, & somnus, & exercitium moderatum: sed somnus longus esse non debet, quin potius adequatus vigilijs, vt id quod tempore somni coctum est, in vigilia per corpus distribuatur, Gal. authore. 12. metho. c. 3.

§.17. Id verò quod Hippocrates lib. 2. de nat. hum. ferè in fine dixit, plurimam Galeno in eius commentario fecit difficultatem, ita vt hac sententia motus sibi persuaserit, librum illum non esse Hippocratis, sed vel Polibi, vel alterius

cuiusdam

cuiusdam impostoris: inquit enim. Tertiana longior est quam quotidiana, & à pauciori bile gignitur, &c. Non enim vult vniuersam tertianæ constitutionē longiorem esse quotidianæ constitutione: nam experientia simul cum ratione docet iudicationes tertianæ breuiores esse, ob humoris tenuitatem & caliditatem, sed vult comparare circuitum tertianæ, cum circuitu quotidianæ, & dicit longiorem esse tertianam, quia de tertio in tertium circuit, quotidianā verò breuiorem esse, quia singulis diebus accessiones habet: quod verò hæc sit mens Hippocratis, ex contextu patet, vbi dicit: Quanto longiori tempore in tertiana corpus quiescit, quàm in quotidiana, tanto diuturnior hæc febris est quam quotidiana. Postrema verò orationis verba id significare videntur. Quod alia sententia in aphorismis dixit, Si febris non ex bile habeat, &c. Vbi Galenus bilem omnem humorem significare dixit, & ita quod à pauciori bile fiat tertiana quàm quotidiana, non indicat, quotidianam à bile etiam generari, sed indicat pituitam copiosiorem esse in corpore quàm bilem, & proinde quantitatem naturalem humorum in corpore, maximè conducere ad speciē febris gignendam insinuat, vt superius nos diximus, causam circuituum febrium reddentes.

CAPVT. X.

In quo febris quartanæ animaduersiones ponuntur.



Humor melancholicus, aut est putrefactus, aut non. Si est putrefactus, vel is est in toto corpore, aut in aliqua parte eius: si in toto corpore, aut est intra vasa, vel extra vasa putrefactus: si intra vasa, facit febrem quartanam continuam, quæ rarissimè accidit, & propterea in præsenti de ea sermonem non facimus: si extra vasa putrescit, facit febrem quartanam intermittētem, de qua admonitiones in præsenti scribimus: at verò si humor melancholicus sit putrefactus in aliqua parte corporis, tunc generat cancrum exedentem, non putrefactus autem in parte, facit scyrrhum, quemadmodū si redundet in toto corpore, generat ictērū nigrum, ex defectu tractricis lyenis non potentis fęcem ex hepate trahere.

Quartana ergo febris vna est ex intermittentium numero à succo melancholico putrefacto orta, de quarto in quartū accessiones habens. Cuius periodi causam satis abunde capite septimo, de hemytriteo diximus, vbi quintanas & septanas, & nonanas ad hoc genus febris reduximus. §. 1.

Quartanas febres vt in plurimum erraticæ antecedunt, & ex alijs febribus solent excidere, & propterea rarò à principio inuadunt, vt supra diximus. Quòd si forsam à principio & nulla præcedente febre fieri suspiceris, ex his signis quartanam esse deprehēdes. Primùm ex rigore diuturno, & ægrè incalescibili, ex pulsu raro & paruo, & ætate ægrotantis, si senex sit (quamuis experientia doceamur, hanc febrem puerilem etiam ætatem inuadere, nam ob puerorum perpetuam ingluuiem & inordinatos in tempestiuosque mo- §. 2.

tus

tus plurimas congerit eiusmodi ætas cruditates,quæ à valido puerorũ calore coctæ, in fæculentum & melancholicum sanguinẽ transeunt,iã quodammodo assatæ:& proinde puerorum plurimi in quartanam incidunt. Præterea si tempus autumnus sit,& febris purum videatur habere interuallum,& de quarto in quartum fiant circuitus,iam certò quartanam esse dices.

§.3. Hæc febris longior est omnibus alijs intermittentibus febribus. Nam ob humoris eam facientis crassitiem & terrestreitatem fit vt longiori tempore duret,quàm par est.Vt enim nos commentario in lib.de locis hominis tex.3. diximus,morbus qui in sicco est,stabilitur & non cessat : qui verò in humido, diffluit,& transmigrans requiem inducit,vt pote non stabilitus & mobilis.

§.4. Hac ratione moti plurimi ex doctissimis practicis, non esse verum affirmant,quod Galen.2.de diffe.feb.c.5 dicit,huius humoris(melancholiæ nempe)plures esse vacuationes quam pituitæ.Nam licet pituita humor crassus,& lentus sit,nihilominus humidior quàm melancholia ,& proinde facilius vacuabitur & diffluet:crassa enim & terrea est melancholia & diuturnissimas in corpore sedes facit,authore Hipprocrate.2.de nat.huma.ferè in fine.Sed meo iudicio eo in loco Gal.non vult,melancholiam facilius vel ab arte,vel à natura vacuari,quam pituita :ea enim quæ aquea & humidiora sunt,facilius expelluntur,quam quæ sicca & terrea. Sed vult,quod totus humor melancholicus singulis accessionibus quartanæ absumitur,dissipatur & vacuatur, ita vt nihil remaneat post accessionem semiustum aut fumosum , vt in quotidiana. Nam tenuis & serosa pars,quæ cum parte terrea humoris melancholici miscecetur,facilè euacuatur.& separatur,& ita quartana purum videtur habere interuallum.In quotidiana verò id quod in singulis remanet accessionibus,humidum est,& fumum edit, & propterea ad purum interuallum non peruenit. Itaque tam in quotidiana quàm in quartana remanet pars humoris crassa post accessionem vacuationi inepta : sed in quotidiana remanet crassa fumũ ex se edens, in quartana verò remanet crassa pars non succensa nec à se emittens putridam fuliginem,& propterea dixit:Huius humoris melancholici euacuationes plures sunt,quam pituitæ.

§.5. Id verò quod Hippocrates. 6.epi.com.6.tex.21.scribit, nempe quartanam annum non transcendere,experientiæ omnino aduersatur,visa enim est quartana non solum per biennium & quadriennium,sed etiam per duodecim annos durasse.Sed Gal.in expositione dupliciter Hippocratem à calumnia vindicat,primò quia ea quartana quæ ab atræ bilis assatione oritur,breui tempore(si ad eam comparatur quæ ex fæce sanguinis putrescente gignitur) perdurat,vtpote ab humore acri:præcipuè si æstiuo tempore inuadat,hęc enim fere in modum tertianæ curatur ab Alexandro.

Quòd si nullus cõmittatur error,corpusque purum ab excrementis existat, proculdubio vtraque quartana annum vltra non prorrogabitur,vt ait Auicenna.1.4.c.65.

§.6. Maiorem difficultatem præbet quod Aetius lib.5. c.83. ex Hippocratis libro de septẽnario adducit,illud nempe est,Quartanam exquisitam bis eundẽ hominem nunquam inuasisse,neque inuasuram,si semel sanus fiat. Nam præterquam quòd experientia contrarium docet , liber tamen de septennario

Hippocratis

Hippocratis non extat. Id tamen memini me legiſſe apud Iacobum Steue in præfatione ad ſecundum epidemiorum, citatum ibi eſſe librum Hippocratis de ſeptimanis, quem credo eundem eſſe cum libro de ſeptennario, ſed hic ſimiliter non extat. Vtcunque tamen res ſit, Aetio credendum eſt, & inueſtigãda eſt huius ſententiæ ratio. Hippocrates enim nihil temerè aut ſine ratione pronunciauit. Et licet Laurentius Iouertus libro de quartana duas huiuſce rari euentus afferat cauſas, ego tamen tertiam adijciam non parui pendendam. Repetere (inquit) nõ ſolet quartana exquiſita, in qua copioſiores fiunt euacuationes, quàm per alias febres. Vniuerſa enim morbi materia ſingulis acceſsionibus bene conſumpta, nullæ remanent fumoſæ & ſemiuſtæ reliquiæ, quin potius totũ id quod accẽditur, vacuatur & diſcutitur. Accedit quod quũ per febris quartanæ longã duratione, ſenſim ac ſenſim corporis natura ac tẽperamentũ immutetur, fit, vt non gignatur deinceps multus melancholicus humor: cuius rei argumento ſunt mores multo ante differentes, ita vt qui ſemel quartana correpti ſunt, videantur multo meliorem (quam antea) naturam & corporis habitum comparaſſe, vt Phauorinus apud Gellium lib. 17. cap. 12. ex mente Platonis adducit dicẽtis. Qui quartanam paſſus cõualuerit, vireſque integras recuperauerit, fideliùs conſtantiuſque poſtea valiturum.

At ego certiorem euidentioremque aliam eſſe rationem puto. Vbi febris §. 7. quartana exquiſita longo tempore hominem vexat, fieri non poteſt, quin liẽ ob multos errores (in tam diuturno morbo) commiſſos ex parte ægrotantiũ non turgeat tumeatque, & copioſum congreget excrementum melancholicũ non enim viſus eſt quiſpiam à quartana liber, qui lienem habeat mollem, & bene diſpoſitum: ſimilis enim eſt lien reipublicæ fiſco, quapropter velut publica totius corporis ſentina eſt, in quam vniuerſa melancholiæ colluuies cumulatur: eaque ratione fit, vt corpus quotidie ab excremento melancholico (qui valet aliam rurſus febrem quartanam excitare) expurgetur. Quum verò hepar venæque ab eiuſmodi ſucco mũda puraque exiſtant, proculdubio quartana rurſus non excitatur, & propterea rariſsimè bis homo quártana exquiſita capitur. Quòd ſi contrarium aliquando fiat, ſuccedens quartana ab humoribus exuſtis gignitur, præcipuè ſi ex alijs febribus excidat, ſed hanc pauco tẽpore durare videbis, hoc enim ſæpiſsimè ex perimento obſeruaui, quod & ab antiquioribus medicis accepi, ipſos ægrotantes hortantibus, vt cito ſperent, à ſecunda quartana conualituros, ſi primam habuiſſe prolixam confiteantur.

Quòd ſi contra obijcias, poſſe melancholicum excrementum in venis lienis putreſcere tanquam in foco, & denuo rurſuſque febrem quartanam excitare, dicam ſanè, excrementum illud eſſe adeo ſiccum, terreum, & cineritium, vt vix poſsit putrefieri rurſus: quapropter cum humor melancholicus excremẽtitius in lienem tranſmiſſus à venis corporis, ob ſuã terreſtreitatem putrefactioni ſit ineptus, conſonum rationi videtur, alteram non poſſe quartanam gignere, & propterea vix homo quartana capitur bis, & ſi forſan capitur, breui tempore durat, vt potè quæ ab humoribus exuſtis, calidis & acribus orta. §. 8.

In curatione quartanæ plura admonentur ab authoribus, nos verò pauca §. 9. eaque vtilia admonebimus: in quo illud primò ſe offert, quod Gal. 1. artis. cur. ad Glau. de ſanguine mittendo in hac febre dicit: vbi enim plenitudinis ſigna adfuerint, miſsio ſanguinis pro virium & plenitudinis ratione iuuat. Qua in re duæ ſunt obſeruandæ conditiones, prima eſt, vt parcè in tam longiſsima fe

bre

bre mittatur, altera verò est, vt extractionis tempore experimentum facias, an flauus sit sanguis qui egreditur, an potius niger & melancholicus, tūc enim sistendus est, niger verò permittendus exire, parcè tamen vt diximus: id quod in principio exercere iubet Gal.

§. 10. Tralianus verò inclinationem morbi huius, & materiæ coctionem expectat, vt sanguinem mittat: quasi verò sanguinis missio auxilium sit de genere eorum in quibus spectatur coctio. Præterea sanguinis missio exercetur in hac febre, duplici ratione: vna quidem, nè humor melancholicus in venis contentus in focum putredinis fluat: is verò in principijs fluit: ergo eo tempore vacuādus. Altera verò ratione exercetur, vt pars humoris melācholici vacuetur, vt natura supra residuum fortior remaneat, illudque coquat & vincat: at humores coctos à natura non sanguinis missione, sed purgatione vacuare decet: ergo Alexandri propositio à veritate maximè deflectitur.

§. 11. In purgatione verò exercenda in hac febre, illud admonere placuit, quod cum materia huius febris crassa sit & terrestris, non satis est vna præparatio & vna purgatio, sed plures exercendæ sunt. Quamuis retulit mihi Lusitanus quidā medicus, vir doctus, modestus & verax, se vnica purgatione (quā mox scribimus) plurimos à quartana febre vindicasse. Erat is Frāciscus Thomas, regis Sebastiani & Henrici cubicularius medicus. Post factam conuenientem humoris melancholici præparationem, purgationem instituebat ex succo radicis sambuci, & ex melle, & vino æquis portionibus mixtis: erat verò singulorū quantitas duarum vnciarum, plus minusue, pro ætatis, virium, temporisque ratione: hac enim potione si qui sunt humores vomitioni apti, vomitu educuntur, grauiores verò & terrestres secessu vacuantur. Aptius enim suo pondere eiusmodi humores per inferiora expelluntur, à virtute pharmaci adiuti.

§. 12. Ventrem mollem quantum fieri possit, seruare præcipit Gal. 1. artis. cur. per consueta: quæ autem vocet consueta Gal. eo in loco, explicat Atheniensis dicens. Cōsueta vocantur, cibaria, vt sunt mel, lac, & sorbitiones ex oleo, & garo, & ex oleribus quæcunque possunt ventrem mollire, vt apud nos est ficla, & borrago iure galli veteris condita.

§. 13. Quòd si compertum habuerimus, nihil effatu dignum ex his successurum, tunc necessariò ad medicamentosa nos conuertemus, prius quidem clysteribus mollibus vtentes, postea verò efficacibus: nam succi crassitudo sæpè violētia quadam indiget, qua prospera vacuatio succedat.

§. 14. Maiorem difficultatem præbet sententia Galeni eodem libro artis curatiuæ ad Glauconem, vbi quartanarios vti præcipit salsamentis: eiusmodi enim cibaria melancholica cum sint, quæsitu dignum est, quomodo ea quartanarijs iniungat. Qua in re Atheniensis Stephanus Galenum salsamenta, non vt cibaria, sed vt medicamenta propinare dicit, vt crassa, terreaque quartanæ materia attenuetur: sal enim tenuandi & tergendi vim habet.

Ego tamen cum Hippocrate lib. 2. de dieta. fol. 115. aliter sentio, eo enim loco ex diuersis cibis intritis & muria conditis obsonia parat ad appetitum excitādum maximè idonea. Quia verò morbus hic longus est, in quo appetitus prostrari & deijci solet, vt hic maximè seruetur, salsamentis vti præcipit, cibarijs inquam, ex multis intritis & simul sale conditis, ab Hippocrate obsonia appellatis, & à Galeno salsamenta loco citato.

§. 15. Atque ea est ratio, propter quam diuersa cibaria, quæ prauæ substantiæ

sunt,

sunt, sæpè quartanam soluunt. Nam ea quæ nimis delectant, & gustui placent alimenta, melius à facultate tractrice trahuntur, à retentrice retinentur, & à coctrice coquuntur, quo fit, vt vberius multo nutriant, & minus superflui ab ijs, quā ab alio implacido insuauique cibo generetur. Quod si præter hoc quòd magno appetatur affectu, facultatem habeat eiusmodi cibus resistendi generationi humoris melancholici, proculdubio quartanam eradicare posse sperabimus. Qua de causa plurimos carnis porcinæ vsu a quartana liberatos fuisse compertum est: quia enim nimis appetitur, & rectè in ventriculo coquitur, parum ex ea superflui colligitur, & obiter intemperiem siccam (quæ humoris melancholici soboles est) corrigit.

Sic ficus aridæ, & omnia alimenta calida & humida quartanam sæpè cessare faciunt, quia materiam ineptam habent ad generationem humoris melancholici. Quamuis alia ratione ficus maturæ & tempestiuæ, & vuæ maturæ nocturno rore madentes ad saturitatem ingestæ, à quartanis febribus liberant. Hi enim & similes fructus quia aluum immodicè ciunt, non mirum si simul humor melācholicus vacuetur, & ægrum à quartana liberent. Nulla enim alia ratione medicamenta melenagoga (vt epitymum, polipodium, sena, elleborus, lapis lazuli) sanare quartanam dicuntur, nisi quia superfluus humor melancholicus ab ijs sufficienter vacuatur. §. 16.

Hac etiam de causa vinum odoriferum laute bibitum quartanam soluit: nā inducta ebrietate, multa superflua vomuntur, quæ febrem quartanam conseruant, & fouent. Quamuis nos comment. in lib. de locis hominis, ebrietatem (tāquam indignam viro honorato) vituperamus, & alia auxilia pro curandis morbis suademus. §. 17.

Alia verò alimenta & medicamenta, quæ facultatem expultricem hebetare possunt, à quartanis liberant. Quo fit, vt sæpè potus aquæ frigidæ, nonnumquā theriaces recentis, & Athanasiæ & Philonij Romani potio quartanam tollit: nā facto sensu hebetiori, expultrix facultas nō stimulatur ad faciendū paroxismū. §. 18.

Sed eiusmodi euentum in ijs qui exquisitiori sunt sensu præditi, spectare licet, in quibus sensoriam facultatem parum obdormire, maximum remedium est, vt à quartana liberentur. §. 19.

Ad hāc causam reducūtur omnes animi perturbationes, quæ solent ægrotantes distrahere, & facultatem hebetiorem reddere. Quosdam enim repentino suæ domus incendio distractos, alios verò nudo gladio repente timore incussos videas, & à quartana liberos experieris. Id quod in alijs febribus etiam contingit. §. 20.

Et licet suprà animaduersione vndecima dixerimus, humorem melācholicū aptius per inferna suo pondere vacuari, quàm per superiora, nihilominus tamē quia plurimæ cruditates quartanam febrē comitantur, ideò vomitus multum conducit post cibum, Galeno & Aetio authore. Nam præterquā quod euacuat quæ ventriculum infestant cruditates, facilius etiam coquuntur ingesta alimenta, vacuatis nimirum crudis humoribus, coctionem impedientibus. §. 21.

Post factam conuenientem expurgationem, tam supernè, quàm infernè, medicamentum theriaca appellatum præbere suadent optimi quique authores: quòd quidem medicamētum si in declinatione exhibeatur, non ea ratione qua sensum hebetiorem reddit, propinandum est (vt supra diximus) sed ea ratione qua vrinas mouere, & materiam crassam attenuare valet, & per halitum digerere potest. Antiqua enim theriaca hoc ipsum præstat, recens verò expultricem §. 22.

facultatem hebetare est apta. Et ideò nonnunquam quartanarijs opitulatur.

Atque ea est ratio propter quam ex intempestiuo vsu theriaces antiquæ, sæpè ex simplici quartana duplicem, & ex duplici triplicem faciant medici, vel omnino maiorem ac curatu difficiliorem. Nam rebellis incoctaque materia principio cum sit, non patitur tantam attenuationem, & expultrice facultate vi medicamenti irritata, frequenter humorem melancholicum excernere conatur, & sic ex simplici duplex, & ex duplici triplex fit.

§.24. Porrò licet quartana febris sui ratione, securissimus morbus sit, nihilominus senes si quartana laborent, periculoso morbo capiuntur, præcipuè si longo tempore perseuerauerit. Nam senes ob facultatis debilitatem in varia symptomata incurrunt, à quibus vix sine vitæ discrimine liberantur. Quibusdam enim appetitus deijcitur, alijs grauis sopor in ipsis accessionibus irruit, quibusdam verò hemyplexiæ & apoplexiæ superueniunt, præcipuè intemperantibus, & ijs qui vini meracioris potu vtuntur, hi enim difficillime ab eiusmodi symptomatibus liberantur.

§.25. Nonnullos etiam quartana laborantes pleuritis corripit lethalis, à qua nisi iuuenes & robusti, raro admodum ob succi crassitiem liberantur.

§.26. Febrem omnem refrigerare docet Hippocrates libro de locis hominis, preterquam, si quartana existat: cuius sententiæ explicationem inuenies textu nonagesimo septimo nostri in illum librum commentarij. Vbi etiam monuimus calidiora medicamenta offerri debere in quartanis febribus, quàm in pituitosis & quotidianis, cuius rationem eo loco inuenies.

§.27. Nec obliuioni tradendum censeo, quod frequentissimè generentur quartanæ his qui nuper vxores duxerunt: ob immoderatum enim coeundi exercitium corpus refrigeratur & exiccatur, quæ intemperies opportunissima est ad generationem humoris melancholici. Quapropter mitius tractandi sunt hi, quam reliqui alia occasione quartana laborantes.

CAPVT. XI.

In quo febris Hectica animaduersionis inuenientur.

§.1. Ectica febris ea ratione dicitur à Galeno. 1. de diffe. feb. c. 9. vel quia stabilem ac solutu difficilem significat affectum, vel quia ipsum corporis habitum, & vniuersam solidam substantiam calor occupat, à qua (vt pote in copactiori solidiorique subiecto accensus) difficillime vixque submouetur: morbus enim qui in sicco est, stabilitur & nō cessat, qui verò in humido, diffluit. Hippocrate authore lib. de locis hominis in principio.

§.2. Huius febris tres gradus (ne dicam species) ponūtur ab authoribus. Primus is est, quando humiditas, Ros appellata, accenditur, aliu quando cambium glutenuè calore absumitur. Tertius quum humidum radicale & primigenium ita à calore depopulatur, vt solidam similarium partium substantiam euertat ac dissipet. Quos gradus Aui. exemplo elichnij ardentis eleganter explicat, & propterea nos ab eius explicatione supersedebimus, illud solum animaduertentes, quod & alibi monuimus ex libro de Marasmo, vltimum

illum

illum gradum hecticæ febris, torridum marasmum appellari. Eoque solū differre à reliquis marasmi speciebus, quod caliditatem habeat siccitati coniunctā. Frigidus enim & siccus marasmus duplex est: alter quidem ipsamet senectus, quæ non aliter quam frigiditate & siccitate deffinitur, ætatis quidē cursu eueniens. Alter vero senium ex morbo dicitur, præmature à violenta causa proueniens, succedit enim febribus ardentibus & hecticis, calore febrili humidum primigeniū absumente, & ipsum innatum calidum depopulāte depascenteque, quo pereunte cor etiam frigidius (quam secundum naturam) reddi necesse est.

Solet etiam senium ex morbo ab excellenti frigidorū vsu oriri, sæpe enim medicus cogitur febre hectica laborantem diù multumque omni remediorū genere refrigerare, vt ab imminenti periculo ægrum liberet: & sic in senium ex morbo ægrum inducit: quod quidem tolerabilius est, quam torridus marasmus. Nam refrigerato principio vitali, minus humidi radicalis absumitur, Quam rationem sequutus Gal. 10. metho. c. 10. consulit, vt is quēm torridus marasmus occupat, in alterum transferatur marasmum, qui senium ex morbo dicitur, à quo non ita præsentius imminet periculum, quam à torrido marasmo, vltimo febris hecticæ gradu. §. 3.

Hectica febris rarissimè incipiendo generatur. Nam vt in plurimum ex diuturnis febribus humoralibus & ardentibus decidit. Accidit tamen nonnunquam, vt durum corpus molliori sit magis dispositū ad patiendum, vt fulmen abunde comprobat. Id quod si aliquando futurum est, in eo præcipuè corpore cōtingere debet, quod calidius siccius que sit, Gal. autho. 1. de diff. feb. c. 12, dicente, Nemo statim ab initio prehensus est tali febre, qui corporis habitum habuerit humidum, sed qui siccior natura existit. Maximeque vbi calidior quoque natura sit & qui vitam deligit in laboribus, vigilia & cura, is solet ab initio hectica febre prehendi. §. 4

Non defuerunt inter antiquos medicos, quidam existimantes, prædictos gradus hecticæ inter humorales febres putridas, vel non putridas connumerari debere. Nam quemadmodum prima humiditas (ex secundis) in exilium venarum osculis existens (quæ nihil aliud est nisi formaliter sanguis) potest ebullire, & inflammari sine putredine, & cum ipsa, ita inquiūt, reliquæ tres humiditates secundæ, scilicet Ros cambium, & gluten, inflammari possunt sine putredine, & cum ipsa. Id quod comprobant ex eo quòd vident membra etiam ipsa inflammari & putrere simul, aliquando vero solum inflammari. Ego vero quid in hac re sentiā, placuit aperire. Febris hectica duplex est: vna quæ solida membra depascit, & populatur propriam ac natiuam membrorū similarium humiditatem absumens, & totum corporis habitum occupās, quæ nihil aliud est, quam torridus marasmus: hæc independens est à causa materiali, viget enim in illa fixus calor, adeò vt vltra progredi non possit, eo vsque siccitatis peruenire solet, vt incurabilem morbum faciat. Vt Gal. asserit 7. metho. Altera vero est febris hectica, quæ licet stabilem & solutu difficilē faciat affectum, non tamen incurabilem. Pendet hæc febris à causa materiali scilicet Rore cambio, vel glutine putrefactis aut ebullientibus. Dum enim carnes & humiditates corporis absumuntur, eius modi fiunt febres, rorem quidem prius consumentes, deinde cambium & gluten, quousque membra solida & similaria factum & independentem concipiant calorem insigni siccitati §. 5.

ti iunctũ,quo torridus generatur marasmus. Quapropter non immerito eiusmodi febres dependentes vocantur.Sicut aliæ plurimæ quæ ex chili corruptione & vermibus oriuntur,dependentes sunt,& tamẽ nullo in genere febriũ rectè à quoquã connumerari possunt.Ita eiusmodi febris à secundis humiditatibus originem ducens,pendens appellabitur. Quæ quidem humiditates vtrum putreant,vel ebulliant,non curo, quum nec sanguinis missione, nec purgatione,nec de obstruẽtibus medicamẽtis curetur putredo illa, sed attemperatione solum carnium,& prædictarum humiditatum optima regeneratione,cibis,potibus,cataplasmatis & vnctionibus conuenienter adhibitis.

§.6. Sunt & aliæ febres hecticæ dependentes etiam ab humorum putredine,& pessima totius corporis substantiæ qualitate, vt experiri licet in ijs qui lue venerea corripiuntur,in quibus solet parua febricula antiqua(simul cũ doloribus nocturnis & maxima vigilia)ita corpus contabefacere,vt nihil aliud præter ossa & cutim adesse videas:tãta est macies,& totius corporis consumptio. Hi ergo non solum vacuationibus moderatis iuuantur, quin potius copiosissimis sudoribus iniunctis ligni Guaiaci,& similium decocto exhibito, nec non vnctionibus ex argento viuo,& tenuissima dieta iniuncta,pristinam salutem recuperant,carnium soliditate præditi,& robore facultatum omnium abundantes.Id quod Rasius.12. continentis animaduertit in ijs, qui internis vlceribus,& obstructionibus laborãt.In quibus (licet extremę tenues sint,nõ veretur purgationem exercere,Et nos decoctum ligni Guaiaci,& reliqua paulo superius dicta exhibere non timemus,frequentissimo curantium experimẽto.Cessat enim febris quæ hectica credebatur, ablata causa, vel humoris,vel deleteriæ qualitatis.

§.7. Neque me latet,Fernelium febrem eam quæ ex vlcere pulmonis oritur,vocasse putridam ex partis substantiã putrescente,verentem quidem sub nomine hecticæ illam comprehendere:Sed quia Gal. sæpe nominum appellationes fugere monuit,dum modo rem ipsam intelligamus, sat erit in præsenti cognoscere,febrem illam ab vlcere pulmonis putrefacti dependere, ob cuius imbecillitatem,cor malè ac prauè ventilatur,& proinde febrem illam,siue ex carne pulmonis putrescente,putridam appelles,siue hecticam, ab illo putrido vlcere dependentem,non peccabis.

§.8. Eiusmodi febre (ob vlcus pulmonis)prehensos diutius vitam protrahere videbis,quã qui in torridum marasmum & veram febrem hecticam migrant, ex eo quod non tantum absumitur ijs substantia cordis, quantum ijs qui in torridum marasmum transeunt.

§.9. Nam etsi vtrique (hectici inquam & pthisici) febrem habeant lentam & tardè consumentem,hectici tamen vrentiorem & breuiori tempore depascentem depopulantemque carnem & solidam substantiam calorem habent, Quod adeo verum est,vt Hipp. 1.epid.sect.3.te.5.dixerit,tabidos febre semitertiana laborare:quæ licet acutus morbus sit,ob crudorum tamen excrementorum copiã(quæ ex morbi diuturnitate generatur)febris quodammodo mitescit,& lento gradu procedit.Quapropter nõ immeritò quidam colligit, necessarium non esse pthisicos omnes hectica laborare,sed ex Hippocratis sententia,horrida,& putrida,cuius causa videtur esse varij diuersique humoris in vlcere putrescentis prauitas,cuius motu & acrimonia,riget horretque corpus simul & febricitat.

Et

Et licet (vt mox dicemus) colliquatio in febre hectica insensibilis inconspicuaque sit, nihilominus tamen, quando hectica in marasmum migrat, vrinæ aliquod colliquationis signum præbent: nam vbi tenera caro & pinguedo colliquari incipiunt, vrinæ in primis oleosæ, splendentes & pingues fiunt, quæ in colore & substantia veluti oleum repræsentant. At verò quia vrinæ oleosæ excerni solent, etiam dissoluta renum & partium adiacentium pinguedine, vt non decipiaris existimans totius corporis pinguedinem, & carnem colliquari & dissolui, cum tamen renes tantum id malum patiantur, hoc modo distinguere scies. Vbi enim renes colliquantur, pinguedo in vrinis supernatat, nec cum substantia vrinæ miscetur, quin potius id quod aquosum serosumque est, in vesicam primum excernitur, deinde verò pinguedo ob suam crassitiem & lentorem paulatim dispersa in vesica supra vrinam ipsam destillat. At vbi totius corporis colliquatio fit, vt in hecticis contingit, vniuersa vrinæ substantia pinguedinem & oleositatem quandam repræsentat à calore extraneo cum sero mistam. Nonnumquam tamen solet pinguedo quædam in vrinæ superficie supernatare, similis ei quæ in summo lacte colligitur, & quæ in summo refrigerati iusculi concreuit, quæ ab absoluta, & completa sanguinis concoctione prodit, & bonum esse signum testatur Galenus. 4. sanitatis tuendæ. cap. 4. Cognoscetur huiusmodi conditionis vrina, si æqualiter pinguedo per totam superficiem supernatet: à renibus verò oleositas cognoscetur, si inæqualis sit, & per superficiem vrinæ olei maculas dispersas repræsentauerit.

Id verò quod Gal. decimo methodi, capite vltimo scribit, non paruam considerationem exposcit: eo enim loco de febre hectica agens, inseparabile signum illius colliquationem carnium esse dixit. Quia verò febres colliquatiuæ (pestilentes dictæ) id habent etiam comune cum febre hectica, vt sciamus colliquationem pestilentis à colliquatione hecticæ distinguere, animaduertendum est ex Galeno loco citato (quem locum Montanus libro de characterismis febrium cap. decimo satis doctè declarat) quod colliquatio pestilentis febris adeò conspicua manifestaque est, vt visu quidem cernantur alui excrementa pinguia, splendescentia, & nimio fœtore prædita. Cùm enim febris pestilẽs à pessima humorum putrefactione oriatur, & ipsius calor violentus, efficax, & multus sit, hinc fit, vt nõ solũ cito, confertim & abundè colliquet corporis humiditatem, sed etiam maximo cum fœtore humida substantia per aluum excernatur. Hac etiam ratione (vt existimo) in febribus pestilentibus fiunt puncturæ morsibus pulicum haud absimiles, & carbunculi, atque aliæ cutis efflorescentiæ, carnem imirum colliquata, ob vehementissimum, malignum & depascentem calorem. In hectica verò febre, quia calor paulatim & pedetentim, humiditates absumit, non ita conspicua & manifesta est (vt in pestilentibus) colliquatio, sed tam insensibiliter resoluit in vapores id quod colliquat, vt caput petentes ibi incrassentur, & condensati, sæpè sæpius importunam quandã in thoracem defluxionem concitent. Quæ nõ solum medicos indoctos, sed & doctissimos quosque fallere solet, existimantes, prædictam fluxionem ab vlcere pulmonis prouenire & pthisim facere, quum tamen fluxio quædam catharrosa ex prædicta causa orta sit, & non ab vlcere pulmonis. Quo factum est, vt maxima ex parte hectici ferè omnes catharro moriantur. Existimantes enim medici, vlcus esse in pulmone, & nihil effatu dignum molientes, ægrum §. 11.

in mortem tendere ſinunt: quiſi calorem abſumentem & reſoluentem pedetentim humidum in vapores, humectando & refrigerando remouerent, proculdubio curationem catharri, & hecticæ abſoluerent, vt iam dicemus.

§.12. Febris hectica refrigerantibus & humectantibusque auxilijs curatur. Qualia ſunt alimenta ex hordeo farreque confecta, aut ex limaceis teſtaceiſue præparata. In quorum cenſum pulli etiam ex lacte & hordeo nutriti veniunt conſiderandi. Cataplaſmata item & inunctiones refrigerantes & humectantes, mirè conferunt. Balnei porrò, & lactis optimè præparati opportunus vſus, & aliorum auxiliorum optimè opitulatur. Quorum copia quia multa eſt apud authores, ab eorum cōſideratione ſuperſedeo. Sed finem huic tractationi impono ea quæſtione in ſtudioſorum gratiam ventilata, an febris peſtilens hectica conſtituenda ſit. Quæ conſideratio, etſi nullam aut paruam practicis videatur vtilitatem afferre (ſunt enim peſtilentes hecticæ (ſi hecticæ dicendæ ſunt omnes lethales, & quam citiſsimè interimentes, adeò vt medici opem non expectent) nihilominus quia liberum eſt vnicuique prout volet arbitrari, & de ſingulis rebus (dum modo ſuæ opinionis firmiſsimas habeat rationes) ſuam ſententiam proferre, non piget, meam in hac quæſtione breuiter aperire. Quidquid Gal. 3. de præſag. ex pulſibus. c. 4.

§.13. Febris hectica peſtilēs quæ ab aëre venenato originē habere debet, in nulla alia corporis parte conſtituēda eſt, niſi in ipſa cordis ſubſtantia putrente, quæ quia tantam talemque putrefactionem diutius ſuſtinere non valet (nō enim ſolutionem continui patitur) quin prius animal pereat, ideò peſtilentem hecticā fieri nō credo. Accedit, quod hectica febris neq; ſanguinis miſsione, neq; purgatione curatur, neque criticè ſoluitur. Quia verò hæc auxilia peſtilētium febrium humoralium propria ſunt, & peſtilens hectica hoc modo non ſoluitur neque curatur, ideò peſtilens hectica, vt exiſtimo, conſtituenda non eſt. Quòd ſi febrem peſtilentē in Rore cambio, aut glutine collocare velis (vt fecit Iouertus) non curo, quando (vt ſupra monui) omnes hæ putridæ ſunt, & à putrefactione eiuſmodi humiditatum pendentes.

§.14. In hectica præterea (vt hoc etiam in fine capitis animaduertamus) venter intumeſcere ſolet, atque indurari, cuius cauſa eſt flatuoſus ſpiritus per inchoatam extinctionem natiui caloris genitus. Id quod in vltimo gradu hecticè contingere dices.

CAPVT. XII.

In quo febris peſtilens animaduertitur.

§.1. Ed iam vniuerſas febrium animaduerſiones videbor expleuiſſe, ſi peſtilentem febrem paucis fuerim complexus. Nam ſi exactam peſtis notitiam in præſenti tradere velim, integrum profectò librum ſcribere non fuiſſet ſatis. Eo vel maximè, quod rarò admodū febres peſtilentes ex venenata aëris qualitate ortas videas, & vbi adueniunt, doctos medicos earum incurſum, & infectionem tanquam iram Dei fugere videbis: à quibus practicas animaduerſiones accipere (ob illorum fugam) non licet.

Neque

Neque mè latet, clarissimi nominis viros multas easque sæuissimas pestes expertos fuisse, vt fuit Hipp. & Gal. & alij demũ, qui post ipsos, integros pestis scripsere libros. Sed quia febris pestilens, ipsaque pestis non semper vnico eodemque modo inuadit, sed varia, diuersaque symptomata affert, ideò difficile est, peculiares animaduersiones scribere. Id quod Gal. 3. de præsag. ex pul. c. 4. animaduertit in hunc modum: At in pestilentia nunquam satis experiri quisquam homo potest. §. 2.

Sunt itaque pestilentes febres quædam ex diariarum genere, vnius diei terminum (siue ad salutem, siue ad mortem) non excedentes. Et licet controuersum sit, an spiritus putrere possint, nihilominus nos cũ Aristote. 4. meteororũ. c. 1. sentimus, omnia præter ignem putrere posse. Terra enim, aqua, & aër putrent, quanto magis spiritus, qui impuriores sunt ipsis elementis. §. 3.

Sunt & nonnunquam pestilentes febres, ex genere ardentium, cum exacerbatione, vel quotidiana, vel tertiana, vel quartana inuadentes. Sunt etiam aliquando continentes acmasticæ, epacmasticæ, & omotenæ, inter quas omotenæ sunt frequentiores, in ijs enim nulla remissio & manifesta declinatio apparet. Quapropter nullam intermittentem febrem, pestilentem esse deprehendes. Cor enim putrefactionem semel conceptam non amittit. Quamquam ego crediderim intermittentem malignam valde esse posse, & sæuissima symptomata afferre, adeò vt facile quis existimare possit, vel esse pestilentem, vel maximè affinem illi. Has ego ter, quaterue expertus sum, praxim exercens Pinciæ, tot enim mala facere potest repetita febris pestilens, ac perseuerans. §. 4.

Inuadere etiam solẽt pestilentes quædam cum bubonibus, aut antracibus, aliæ vero cum pustulis, & florescentijs.

Ex his quædam cum peste inuadunt, ex cõtagione aëris excitatæ, venenata qualitate infecti & cor ipsum inuadentis. Aliæ vero sunt pestilẽtes febres, quæ non ab aere venenato, sed ex prauis alimentis oriũtur, à quibus humores malignam venenatamque qualitatem contrahentes, pestilẽtis febris fiunt authores, de qua Gal. 3. de præsag. ex pul. c. 4. dixit quandam esse febrem pestilentẽ sine peste, hoc est sine aeris veneno. Cuius etiã meminit. 1. epi. com. 3. tex. 57. in hũc modum scribens. Et pestis quoque illa longissima, quæ nostra ætate vulgata est, ex ijs quæ per aluum vacuãtur, omnes prope perimit. Quæ euacuabantur, erat colliquatio. Quod quidem esse symptoma videtur in perpetuũ febris, quam pestilentem priuatim vocitant, cum mortales citra pestem corripit. §. 5.

Ex quibus verbis illud etiam elici potest, inseparabile symptoma febrium pestilentium (quæ sine peste inuadunt) esse fluxum vẽtris colliquatiuum. Fit enim eiusmodi fluxus ex pessima humorum & totius substãtiæ corporis putrefactione, qui tam prauus tamque male olens solet esse, vt ambiẽtem aerem inficiat, & demũ si qui morbosum apparatũ habuerint, eiusmodi febre corripiãtur. Sed de hoc supra capite de febre hectica latius monuimus. At vero vt prædicta contagio vitetur, & hi qui cum ægroto febriẽte necessario conuersari debent, pestifera lue non capiantur, ambientem ipsum alterare oportet, multa aqua rosata & aceto rosato per cubiculum sparsis, nec nõ multos flores cordiales & salicum ramos humi fundere præcipias, & vt ægrũ ipsum à sordibus mundum conserues, vestimẽta operimentaque sæpius mutabis, ne sibi & astãtibus putrefactionis fomes reseruatus maioris maligniorisque morbi sit §. 6.

causa. Id quod in his malignis febribus, quæ vulgo (Tabardillo) appellātur, face re similiter suadeo, dummodo aer ambiens nō tā ad frigiditatem inclinet, vt exitum Exanthematum prohibeat.

§.8. Pestifera ergo febre correptis, solent humores præcipites in vētrem decūbere, & natiuam humiditatem secum rapere, adeo vt metuēdus maxime sit alui fluxus vires deijciens. Atque ea est ratio propter quam summa cum prudētia & magna animaduersione, purgātibus medicamentis vtēdum sit in hac febre, quippe multò promptius fluxum excitabitū medicamenta purgātia. Quapropter mitioribus vtendum est, si necessitas vrgeat, & eo modo exhibēda quo diximus supra, cum de febribus malignis verba fecimus.

Quod vero ad sanguinis missionē spectat, morbo incipiēte, & cū præsentia sanguinis inuadente, licet aliarum febrium respectu, parce sit exercēda, nihilo minus sua ratione, copiosior exercēda est in principio, quam morbo increscente, eo enim tempore vires iam decumbētes eiusmodi auxilium non ferūt. Sed quid de hoc remedio dixerimus in febribus malignis, ex Galeni mēte, vide caput quartum: & eadem ad pestiferas febres transferto.

§.10. Febres pestilentes omnes de genere lipyriarum esse, satis superque mōstrāt authores, suo quique loco. Nā partes interiores vti exterioribus refrigeratis solis febribus perniciosis & valde malignis euenit authore Gal. 4. aph. 48. Tales autem sunt pestilētes, & lipyriæ, & quæ inflammationes internarum partiū sequūtur, in quibus vniuersus calor ad viscera (veluti per cucurbitulā) retractus externa deserit. Quas etiam lipyrias esse Gal. & Aetius dixerūt lib. 2. de crisi. c. 7. & 7. apho. 43. & 4. apho. 48.

§.11. Postrema hæc animaduersio ansam nobis præbere poterat, vt de febribus epialis (quę lipyrijs similes esse apparēt) nonihil dissereremus: vt enim in lipyrijs calor interna deurit, exterioribus refrigeratis, ita in epialis. Sed differunt, quod in lipyrijs calor & frigus diuersis in locis sentiuntur, in epialis verò homines simul febricitant, ac rigent, & vtrumque eodem tempore sentiunt in quauis corporis parte. Id quod nulli alteri febri competit, præterquam epialæ. Fit eiusmodi symptoma in hac febre ex pituita vitrea, altera quidem parte putrescente, altera verò non putrida. Nam ob hanc partem rigorem infert, per corpora sentiētia delata, ob partem verò quæ putret, febrem generat. Quòd si tota pituita vitrea æqualiter putrescat, & incalescens per corpora sentientia deferatur, febrem efficit cum rigore incipientem, de genere quotidianarum. Et licet quotidiana periculosa sit (vt suo loco diximus) periculosior multo est lipyria, ob rationes dictas decima animaduersione superiori.

§.12 Quia ergo Galenus secundo de differentia febrium epialam febrem inter quotidianas recenset, de quibus nos suo loco multa diximus, ideò ab eius tractatione in præsenti supersedemus. Eo vel maximè, quod illa quæstio à Galeno loco citato exarata (an ab eadem causa eueniant hi duo effectus contrarij, rigor nempe ex refrigeratione, & febris, & quo modo fieri possit, vt simul in eisdem partibus sentiatur calor, & frigus) parum aut nihil conducere videtur pro practicis animaduersionibus scribendis. Nam quod contrariæ substantiæ & qualitates in eodem subiecto existant, & inuicem inter se misceantur, physicum & theoricum magis est, quàm practicum. Qua propter qui eius rei exactā notitiam desiderat, theoricos scribentes non oscitanter percurrat.

CAPVT

CAPVT VNICVM & postremum.

De Variolis & morbilis.



Post febrium vniuersalem doctrinam conuenienti ordine de Variolis & morbilis agunt authores, solent enim eiusmodi maculæ in febribus crebro venire. Quæ in principio & crudo adhuc morbo si appareât, humorum ferocitatem ac sæuitiam significant. Declinante verò ac iam cocto si eruperint, victoriam naturæ, atque illac esse trudendam morbi causam demonstrant. Id quod de omnibus cutaneis efflorescentijs pariter est intelligendum, siue extuberationes sint, vt variolæ & morbili, siue viuices (à barbaris essera dictæ) siue maculæ morsibus pulicũ simillimæ, siue vesicæ & scabies. Quæ omnia sub communi appellatione exanthematis veniunt intelligenda, licet exacte loquendo, variolæ & morbili sub exanthematis nomine non comprehendantur. Quippe Paulus lib. 3. cap. 3. Exanthemata, cutis vlcerationes vocat, diuersam admodum curationem eis perscribens, quam vera methodus variolarum & morbilorum postulat. Hi enim morbi nunquam ad cutis vlcerationem deueniunt, nec balneis ex rosis, myrto & lentisco (quæ vim astringendi habent) curantur, vt Paulus asserit. §. 1.

Atque hæc est ratio propter quam nunquã mihi persuadere potuerim, credere Hippocratem & Galenũ cæterosque Græcos variolas & morbilos cognouisse, quidquid Manardus lib. 7. epis. 2. Hi enim eximij morborum omniũ exploratores cum sint, nullo in loco infantili puerilique ætati variolas & morbilos cõuenire, raroque ætate prouectos (vt nos experimur) inuadere pronuntiant. Sicut nec semel eundem hominem per totam vitã corripere asseuerant Quod fecisse Hippocratem, & Galenum erat rationi consonum, si relati morbi cogniti illis fuissent. At cum non fecerint, credendum est eos morbos non cognouisse, vel modum inuadendi, & quas ætates, & quoties infestare soleant non obseruasse. Id quod minime mirandum existimo, cum noua genera morborum, quæ nunquam antea visa fuere, nunc experiamur. §. 2.

Sed quæ sint harum obseruationũ rationes iam dicam. Infantili puerilique ætati hunc morbum conuenire (vt in plurimum) ex eo constat, quòd infantiũ puerorumque ætas calida & humida cum sit, plus quam alia quæuis ætas feruoribus & putrefactionibus obnoxia est, præcipuè si influxus cœlestis aerem inficiat, vt calidior humidiorque quam par est reddatur, quapropter vere calido & humido plus hunc morbum grassari quam alijs anni temporibus experimur. Accedit, quòd infantes lacte vtuntur, quod inter alimenta morbi huius causam esse docti omnes medici asseuerant. §. 3

Hinc inferre licet causam cur hic morbus bis eundem hominẽ rarò corripiat: nam cum semel variolis, morbilis, febreque est affectus homo, adeo sanguinis massa ebullit & expurgatur, vt siccior versus illo morbi genere iterum corripi non valeat. Huic rationi adiungenda est illa, quam ponimus animaduersione sexta. §. 4

Sed

Sed hoc intelligendum est si variolis corripiatur homo simul & morbilis,
§.5. aut si solum variolis, propter materiæ crassitiem. Nam cum solis morbilis afficitur, non sic securè viuit homo, vt variolis non corripiatur, non enim sic expurgatur sanguinis massa & purior rdditur, per morbilorum exitũ ac per variolarũ apparitionem. Quapropter suspicari debet medicus exituras aliquãdo variolas, si morbili puri nascantur. Quod si contra variolæ prodeãt solæ simul cum crassa earum materia, tenuem morbilorum fore propulsandam est suspicandum.

§.6. Horum morborum causam Aui. ad sanguineæ massæ ebullitionem suo loco refert, nam quemadmodum (inquit) mustũ semel feruerè ebullireque oportet, vt in dolijs perficiatur, ita sanguinis massa in vasis fœtus contenta vt perfectam consistentiam acquirat semel ebulliat est necesse. Quo tẽpore id quod spumeum est in cutem trasmissum, variolas & morbilos efficit, crassum verò (quod fæci vini assimulatur) per aluum excernitur, aut alio quouis modo absumitur. Ex quo colligere licee, rarò homines non nisi semel his morbis capi
§.7. solere, vt mustum non bis feruere experitur. Cum febris prius aggreditur passurum variolas, & post ipsæ apparent, salubrius indicium est quam è diuerso, eo enim tempore, febrem de genere synochi non putridi esse est existimandum, præcipuè si statim post apparitionem variolarum & morbilorum cesset & extuberationes rubræ sanguine quæ fuerint: è contra vero si contigat variolas morbilosque primum exire, deinde febrem sequi, periculosius indicium est arguit enim eo tempore sanguinis putrefactionem, & obstructionem à qua orta est febris synochus putrida, quæ multo deterior est quàm febris synocha uon putrida, quàmquam fœliciter cedere vtramque obseruationem, visum fuit.

§.8. Non parum exercitatum expertumque medicum requirunt huiusmodi morbi in sui principio, vt cognoscantur, vix enim visu discerni queunt, vtrum variolæ morbiuile erumpant, adeo exigua sunt in primo ortu, & ferè simili modo efflorescunt, præterquam quod morbilorum exitum febrilis caloris maior mordacitas, & oculorum ingens rubedo, quàm in variolarum eruptione comitatur, solent quoque motus conuulsiui ante exitum apparere.

§.9. Iudicium de coloribus exiturarum sumit Aui. fuscum enim habentes colorem & viridem, purulentam saniem à se profundentes, perniciosæ sunt, præsertim si paruæ, duræ, egrè maturantes fuerint. Magnæ verò raræ, rubro colore aut albo insignitæ, bonam de se significationem præbent, tunc maximè, si dum crescunt febris mitior reddatur. Pessimæ vero omnium sunt quæ nasci incipiunt, & statim marcidæ fiunt, & denuo nouæ variolæ erumpunt, præcipuè si vox rauca fiat, introque generari suspicemur, harum obseruationum rationes cuius mediocriter exercitato conspicuæ sunt.

§.10. Multi variolas morbilosue patientes per immoderatum alui fluxum moriuntur, materia morborũ intestina vlcerante quod maximè cauere debet medicus, parum sibi curans de fæcibus euacuandis, nisi multa vrgeat necessitas, idque eo tempore (omissis pharmacis,) alimentis lenientibus fiat ne intro reuocetur morbi causa: sed de hac euacuatione, plura dicemus sequente animaduersione.

§.11. Sanguinem in eiusmodi morbis esse mittendum, nemo est qui ambigat, in adultis quidem & ætate prouectis pro plenitudinis ratione, in infantibus vero

pueris-

pueris sue, vel vena secta, vel cruribus scarificatis, non tantum sanguinis extra-
himus, quantum morbus exposcit, sed Galenum sequuti (qui has ætates sangui
nis missionem non dehortari scribit, sed quantitatē, vt supra monuimus cap.
4. animaduersione centesima quarta) minus detrahimus quàm plenitudo com-
monet, per ætates quidem in pueris & infantibus. Sed vtrum sanguis e s trahē-
dus sit, postquam variolæ morbiliue efflorescere & cutim maculare incipiunt,
id quidē ferè omnes verterunt in dubiū. Ego vero quid in hac re sentiam, pau-
cis absoluā, sanam ac sine dolo doctrinā sequutus. Galenus enim. 6. epi. com.
2. illo, Lata exanthemata, &. c. instuens curationē succorum cuti inhærentium,
inquit id exerceri debere per fotus & calida medicamenta, præcipue si pustu-
læ latæ fuerint, signum est enim succum earum authorem admodum crassum
& frigidum esse: si quis autem priusquam ita redundantem succum & cuti inhæ
rentem, aut venæ sectione aut purgatione vacuet, fomentis vtens, discutere
conetur, plus attrahet quam per cutem vacuabit, ideo succos per cutem ver-
gentes, non solum illac trudendos esse, sed etiam purgatione aut venæ sectio
ne esse vacuandos censeo, si vel plenitudo sanguinis, aut aliorum humorum
multitudo adfuerit, etiam si cuti iam inhæreant, eamque maculare succi videā
tur. Neque plus timere purgationem aut venæ sectionem, quando variolæ aut
morbili adsunt, quam si non adessent, consulo: non enim ea ratione ad inter-
na regrediuntur, & venenata qualitate corpus inficiunt: nam sic verēdus esset
(post euacuationem sanguinis) regressus materiæ bubonis pestiferi ad inter-
nas & principes partes, in quo licet sanguinem mittere. Cuius oppositum
experimur in bubonibus pestiferis, & alijs tumoribus externis; augentur enim
omnes potius quàm imminuātur, post sanguinem missum, cum a multo san-
guine in venis illius particulæ congesto originem trahant, isque sanguinis
missione reuellatur. Accedit, quod vires ægrotantis robustiores versæ, valent
in halitum discutere humorem quem prius difflare non poterant.

Solet quandoque in morbi huius initio sanguis adeo feruere (quod ex fe- §. 12
magnitudine & faciei rubore, & ex æstuatione & neruorum conuulsione, ac ex
bris tremore cognoscitur) vt medicos cogat totam suam operam in
feruore compescendo impendere eaque ratione fit, vt diuersus curatio
nis modus habeatur, quando variolæ morbilique nondum visuntur ab eo
quem seruare oportet, quando cutem maculare incipiunt hoc enim
tempore rebus facultatem reijciendi variolas in cutem habentibus vti de-
bemus. Cum vero nondum apparent (in prima scilicet aut secunda die) ab eis
supersedendum existimo, ne sanguinis feruor adeo augeatur, vt vniuersus
spumeus redditus, ineptus fiat nutritioni, & spirituum generationi, sicque
mors breui fiat, omnia enim medicamēta quæ in cutem humores propellūt,
sanguinis massam ebullire faciunt. Vt ergo feruor compescatur, cibis frigidis
adstringentibus (qualia sunt sorba, malicotonei succus pyra adstringentia, ma
la granata, & aranecia) vti possumus, quæ omnia cauere oportet quando iam
efflorescere incipiunt, & eorum loco omnibus ijs quæ vim reserandi obstru-
ctiones, & quæ attenuandi habent vtendū, quorum omnium copia apud Aui
cennam multa est.

Qua in re adeo cupimus peruium trāsitum per cutem morbilis & variolis §. 13.
efficere, vt cauere oporteat, cutem oleo, aut cera aut emplastro illinire, ne ob-
structis meatibus, materia intus relinquatur, quamuis interdum facultas
adeo

adeo imbecilla eſt, vt noxium humorem (propter eius lentorem) excernere non valeat, quo tempore, quæ humorem attenuent exterius applicare conſulo in liquoris modum, nam in forma emplaſtri pernicioſa eſſe cenſeo, quippe conſiſtentia illa craſſa emplaſtra difflationem & exitum viti ati ſucci coercet. Si enim licet peſtiferos ſuccos bubones generantes ad cutem oleis euocare. licebit etiam rebelles contumaceſque variolas eodem præſidio in exteriora corporis trahere. Id quod etiam in morbo punticulari exercemus, oleo camomelino & nitro totam cutem fricantes, vt facilior ſit eiuſcemodi macularum exitus: neque hac ratione in bubonibus emplaſtorum vſum prohibemus, quippe bubonum carbunculorumque materia craſsior multo eſt, quam variolarum cauſa, ideoque emplaſtris vtendum, quæ craſſitiem attenuent & quietem immobilitatemque materiæ excitent.

§.14. Id vero quod Auicen. animaduertit. c. de curatione variolarum, ſemper felicißimo euentu in vſu practico ſucceſsit, præcipuè in infantibus, vbi enim ex tumore oculorum & faciei timetur partes ſuperiores à malitia humoris variolas facientis infectum iri, tunc conſultũ eſt apud illum venas narium aperire, vt prædictæ partes (quæ maximè tueri debent) à corruptione præſeruentur.

§.15. Itaque variolarum ortum in oculis conſuetis præſidijs cauentes, & poſtquã integrum incrementum adeptæ ſunt, variolas ſiccantes, linimento ex ſale & roſarum aqua facto, & denique ipſis iam aridis verſis, vt excidant procurantes, linimento facto ex medullis crurium boum cum ceruſa, vel vnguento albo commixta, vel ſanguine columbarum, tandem totam curationem variolarum abſoluemus. Id in fine animaduertentes, difficile admodum eſſe derelictas in facie foueas curare, quamuis multa apud authores deſcribantur cutem attenuentia & abſtergentia, & ad cutem deferendi ſanguinem vim habentia.

LAVS DEO

INDEX EORVM QVAE IN HOC VOLVMINE CONTINENTUR.

Prior numerus caput denotat, secundus verò animaduersionem ostendit.

A.

B.

INDEX.

INDEX.

E

F

INDEX.

Men

INDEX

Q

Quar

INDEX.

R

S

Sa-

INDEX.

Symp-

INDEX.

FINIS.

LVDOVICVS SANCHEZ TYpographus in laudem operis.

SIT Felix tuus in lucem faustusq́, libelle,
Exitus: intrepidum limine solue gradum.
Quas nullus deprompsit opes Hippocratis, hauri:
Garrulitas, muta, quos mouet, arte doce.
Rumpe moras, quod diues habes, effunde talentum:
Non manet ingenij fama sepulta tui.
Euge ergo, studiosa cohors, has voluito chartas:
Crede, feret gratum pagina docta lucrum.